
G. Calixtus.
(S. Kenckel)
De auctor. Sacræ Script.
Helmst. 1654

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

1,-391.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01722 6
+ REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

824

ΣΥΝ ΘΕΩι.

# DE AVCTORITATE SACRÆ SCRIPTVRÆ,

*ET*

# NVMERO LIBRORVM CANONICORVM VETERIS TESTAMENTI

CONTRA PONTIFICIOS

*EXERCITATIO,*

IN QVA

SVB PRAESIDIO


GEORGII CALIXTI

S. THEOLOIÆ D. ET PROFESSORIS PRIMARII

*IN ACADEMIA IVLIA*


PVBLICE

ANNO CIƆ IƆ CXLIIX,

*DIEBVS XXI IVNII, ET XVI SEPTEMB.*

*HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS*

RESPONDIT

STEPHANVS Kenckel

FLENSBVRGENSIS.

*EDITIO ITERATA ET RECOGNITA.*

ACCESSIT APPENDIX NOVITATI, QVA BIBLIORVM LECTIONE POPVLVS PROHIBETVR, OPPOSITA.

---


*HELMESTADII,*

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT HENNINGVS MVLLERVS.

CIƆ IƆ C LIV.


κτῆμα καὶ χρῆμα
ned: Georg. Schrödter
Slesvico-Holsati. Il-
lustri ad Elmam Academ.
Ann. CIƆ IƆ CLXIV. 5. Feb.


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,*

DOMINO

# FRIDERICO TERTIO,

## DANIÆ, NORWEGIÆ, WANDALORVM ET GOTHORVM REGI,

DVCI SLESVVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMARSIÆ,
COMITI OLDENBVRGICO ET DELMENHORSTANO,
REGI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

*ALVTEM ET FELICITATEM.*

um famâ in has terras delatum eſſet, CHRISTIANVM QVARTVM Daniæ Regem (at quantum, quàm pium, quàm prudentem, quàm fortem, quàm clementem, quàm denique paterno in populos ſuos affectu inclutum!) è regno terreno ad cœleſte translatum mortalitatem exuiſſe, dici non poteſt, quantopere conſternati fuerint omnium animi, inprimis verò noſtrûm, qui ex provincijs Cimbricæ cherſoneſi hereditarijs orti in hac academiâ numero non exiguo ſtudijs operam damus. Aſt ubi poſt temporis intervallum

non

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

non adeo diuturnum increbreſceret, conſentientibus Procerum & Ordinum ſuffragijs electum eſſe Filium, qui maximo Parenti ſuccederet, & ſceptra paterna capeſſeret, in quo reſtauraretur, quidquid in illo videri poſſet amiſſum; quantâ pridem triſtitiâ correpti & proſtrati fuerant, tantâ iterum lætitiâ recreabantur & emergebant. Videbamur nobis, quamquam procul poſiti, audire omnium in Daniâ, & vicinâ noſtrâ patriâ, quin in Norvvegiâ & ultimâ terrarum Islandiâ Procerum, Cleri & Populi vota, quibus Tui, Sereniſſime Rex FRIDERICE TERTIE, regni auſpicium RegumRegi & regnorum omnium ſupremo diribitori ardentiſſimè commendarent. Videbamur nobis videre, quàm peculiare eſſet eorum gaudium, qui Te primi Regem ſalutaſſent: quomodo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardaret, quò minus oculos ſpectaculo Tuæ Majeſtatis paſceret. Eam parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum Ejus, quaſi ad ſalutem, ſanitatemque prorepere. Inde alij ſe ſatis vixiſſe, Te viſo Te recepto; alij, nunc magis eſſe vivendum, prædicarent: fæminas etiam tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubiret, quum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites periſſent: denique ut in Tui unius ſalutem collata



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

eſſent omnium Ordinum vota, quum ſibi ſe, ac liberis ſuis intelligerent precari, quidquid pro Tuâ Majeſtate quiſque precarentur. Nobis autem, qui extra patriam hîc in literis vivimus, & Muſis operamur, videbantur popularium noſtrorum votis noſtra quoque eſſe adjungenda, & ad veterum Romanorum imitationem acclamandum; FRIDERICE Auguſte Deus Te ſervet! ut ſalvi ſimus, Deus optime maxime, ſerva nobis FRIDERICUM! Prætorijs cohortibus feliciter! exercitibus Regijs feliciter! Felices nos FRIDERICO imperante! Quemadmodum olim Plato naturæ gratias agebat, quòd natus eſſet homo, non belua; maſculus non fæmina; Græcus non barbarus; præſertim verò Socratis temporibus: ita nos Æterno Deo hymnos gratiarum decantabimus, quamdiu hujus lucis fruemur uſurâ; quòd nos homines produxerit, quòd fecerit naſci è Chriſtianis parentibus & inter Chriſtianos in terris neque literarum neque pietatis cultu vacuis, denique quòd ætas noſtra incideret, & ſi quæ ſperari poteſt maturitas ſtudiorum noſtrorum, incurſura ſit in felicia tempora glorioſiſſimi Regis FRIDERICI tertij. In Te, FRIDERICE, omnia, per Te omnia, Deo cœlitus annuente, habebimus. Deus Te nobis dedit, Deus conſervet. Non poſſumus ſub felice Rege infelicia, ſub prudente temeraria, ſub conſtante le-

via,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

via, ſub indefeſſo languida, ſub pio crũdelia metũe-
re. Sive enim fortitudinem Tuam, Rex Sereniſſime,
ſive juſtitiam, ſive temperantiam, ſive prudentiam,
ſive denique pietatem ſpectemus, ita à teneris cita-
to curſu ad ſummum omnium virtutum faſtigium
graſſatus es, ut vel diſertiſſimum Romuli nepotum
varietas laudum Tuarum ſit delaſſatura. Equidem
ſi poëta eſſem, optarem mihi linguas centum, & ora
centum; ſi orator, δεινότητα Demoſthenis, & copiam
Tullij; nunc quia neuter ſum, quia nullus ſum, ne o-
ptare quidem audeo, quod tantæ rei par eſſe poſſit.
Vnum ſaltem dicam, quod ſit inſtar omnium, quum
Illuſtres Daniæ Ordines ſæpe multumque ſecum a-
gitaſſent, qualem quantumque eſſe oporteret, cujus
ditione nutuque tanti regni maria, terræ, pax, bella
regerentur, digniorem, cui omnia illa committe-
rent, quem Regem appellarent, non invenerunt. A-
nimadvertebant videlicet mirum quemdam virtu-
tum concentum & concordiam, quòd nihil fortitu-
dini probitas, nihil prudentiæ ingenuitas, nihil ſe-
veritati hilaritas, nihil gravitati candor, nihil maje-
ſtati humanitas detraheret. Iam firmitas, jam pro-
ceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris,
ætatis maturitas, quin non ſine omine feſtinata ſene-
ctutis inſignia, nonne longè lateque Regem oſten-
tant? Talem videlicet tantumqne eſſe oportuit, quo

electio & exoratum Numen Daniam donaret. Tu itaque, Sereniſſime Princeps, unicè dignus habitus, in cujus ſinum anxia & afflicta Reſpub. confugeret: neque Te propria cupiditas, ſed aliena utilitas dicam, an indigentia Regem fecit. Oneraſti futuros Reges ac Principes, ſed & poſteros noſtros. nam & hi à Regibus ſuis exigent, ut eadem audire mereantur, & illi, ſi non audiant, indignabuntur. Iam ſi de excelſiſſimâ Tuâ familiâ & antiquiſſimâ generis proſapiâ loqui & quidem à ſuis inde cunabulis arceſſere deberem, quæ oratio omnia complecti, aut memoria conſequi valeat? Negare verò aut velit aut poſſit natus nemo, quòd ſit inſigne peculiaris divinæ providentiæ argumentum, ex unâ ſtirpe tot ordine Reges electos eſſe. Gentilis antiquitas olim neſcio quos Ioves, Hercules, Quirinos, deosque indigites commenta cœlo intulit, quos detinebat infernus: at Dania longè veriorem ἀποθέωσιν tribuere poſſit CHRISTIANIS, FRIDERICIS, Regibus inviċtiſſimis, optimis, ſanctiſſimis, à quibus ipſa pietas & virtus nominis ac famæ æternitatem accepiſſe videntur. De omnium ultimo, proximo deceſſore & parente CHRISTIANO QVARTO, glorioſiſſimæ memoriæ, Regum noſtri temporis tum ætate tum virtute maximo quid dicam? aut potiùs, quid non dicam? arbitror enim longè conſul-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tius eſſe, eum non tenui ſermone velut hominem, ſed eloquenti ſilentio, numinis alicujus inſtar, venerari. De Timanthe refert Plinius, quum Iphigeniam ſtantem ad aras, & perituram, in tabellâ exprimere vellet, mœſtos pinxiſſe omnes circùm, præcipuè patruum; jamque omni triſtitiæ imagine conſumtâ, patris ipſius vultum velaſſe, quem dignè oſtendere non poſſet. Idem planè, Rex FRIDERICE, in diſſimili quidem affectu, quando glorioſiſſimi Tui Parentis magnitudinem venerabundus inſpicio, mihi contingit. Dum enim Tuis virtutibus digna elogia aliquo ſaltem modo conor adumbrare, ſentio facultate me deſtitui; atque adeo quum ad Divum Parentem accedo, cui gloriam & laudes, quas deberem, circumdare nequeo, Timanthis velum malo injicere, quàm rem viribus majorem moliri. Interim nullus dubito, Oratores & Poëtas, quos ſive Tua celeberrima Hafnia, & amœniſſima Sora nutriunt, ſive reliquus eruditus orbis habet, ex ſuæ copiæ divite cornu certatim depromturos, quidquid ſive ad Tuam, ſive beatiſſimi Parentis gloriam poſſit facere. Ego verò, quem felicior ingenij vena deficit, ne prorſus ἀσύμβολος ſim, & nullum devotiſſimi animi ſpecimen edere videar, Majeſtati Tuæ Exercitationem Theologicam, Pontificum ſynodique Tridentinæ anathemata elidentem, in quâ Reſpondentis partes obivi ſub magiſterio & præſidio ejus, qui ob communem patriam non minùs, quàm quivis popularium alius, gaudet & gratulatur, humillimè offero, dico, conſecro. Quod dum præſto, nonnullis fortè temerarius videbor & audax: ſed

facit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

facit fiducia Tuæ benignitatis & clementiæ, ut certò mihi perſuadeam, quemadmodum Sol, quò altius attollitur, eò magis infimos vallium anfractus radijs ſuis illuſtrat; ita Te quoque, tamquam ſalutare ſidus ad faſtigium, quod inter mortales ſummum eſt, evectum, in humillimum & infimæ ſortis ſervulum Regiæ gratiæ radios demiſſurum, & pietatis ac devotionis fervori imputaturum, quidquid tantâ ſublimitate inferius ad Majeſtatis Tuæ pedes depoſuero. Accipe igitur illud, Potentiſſime Rex, qualecumque fuerit, & vultu Tuæ Majeſtati proprio, hoc eſt, ſereno & propitio intuere: me quoque, ſtudia, parenteſque meos cætera quidem nullius dignationis, Tuæ tamen Majeſtati devotiſſimos, ſpem denique & fortunas omnes potentiſſimo Tuo patrocinio unicè committentes, Regiâ gratiâ complecti dignare. Noſtrum viciſſim erit imitari votum, quo Venuſinus vates Cæſarem ſuum proſequebatur; *Serus in cœlum redeas, diuq;*

*Lætus interſis populo Quirini:* ad hujus, inquam, imitationem precari & exclamare, Vive & diutiſſimè regna Rex magne; vive FRIDERICE, nec niſi tardus cœlo, unde nobis datus es, redoneris. Ita regnes, ita omnia ſupremæ poteſtatis munia expleas, ut quum apparuerit magnus ille Regum Rex, reportes amarantinam gloriæ coronam! Luculentiorem mercedem nec Tua Majeſtas ſperare poteſt, nec nos optare. Scripſi in Academiâ Iuliâ, quæ eſt Helmeſtadij Saxonum, anno CIↃ IↃ C XLIIX, die XIX Septemb.

REGIAE TVAE MAIESTATIS

*ſubjectiſſimus & devotiſſimus cliens*

STEPHANVS Kenckel Flensburg.

DE

# DE AVCTORITATE SACRÆ CANONICÆ SCRIPTVRÆ.

AVctoritas, uti à nobis nunc capitur & conſideratur, eſt rationalis naturæ, (qualis Dei, Angeli, hominis) aut alicujus, quod ab eâ ad ejus mentem & voluntatem ſignificandam profectum fuerit, (ut legis, teſtimonij, ſcripturæ) ex ejus perfectione reſultans vis vel facultas alliciendi aliorum ſive intellectum ad adſentiendum aſſertionibus, ſive voluntatem ad obſequendum mandatis.

II. Dico non niſi rationali naturæ vel alicui hinc profectæ rei auctoritatem competere; eamque derivo ab ejus perfectione ſive præſtantiâ & excellentiâ. Quò enim quiſque virtute, ſcientiâ vel ſimilibus dotibus perfectior, eò quoque majoris eſt auctoritatis tum ipſe, tum quod ille dicit, vel docet, vel teſtatur. Hominis vilis, nullâ virtute & doctrinâ præditi nulla quoque eſt auctoritas. Quam auctoritatem formaliter eſſe dico facultatem, vim vel virtutem alliciendi aut inducendi aliorum ſive intellectum ad adſenſum, ſive voluntatem ad obſequium.

III. Quoniam autem hæc ipſa facultas, vis vel virtus à perfectione ejus, cui tribuitur, dependet, manifeſtum eſt auctoritatem Dei ſummam eſſe: atque itidem, ſi quæ lex, aut doctrina, aut ſcriptura à Deo profecta fuerit, hujus



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

hujus itidem auctoritatem eſſe maximam. Quò enim propiùs à Deo abeſt, vel in Deum proximiùs referri poteſt, eò quoque majore pollet auctoritate. Sacra quidem ſcriptura per homines confecta & conſignata eſt. Sed hi homines loquuti ſunt ac ſcripſerunt ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, *acti à Spiritu ſancto*, II Petri I, 21. *Benedictus Dominus Deus Iſraël loquutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum*, Lucæ I, 70. *Deus qui fecit cælum ac terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, Spiritu ſancto per os Davidis pueri ſui dixit, Cur fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Act. IV, 24. Quæ autem ratio eſt unius Pſalmi, eadem quoque eſt reliquorum; & quæ ratio eſt unius libri prophetici, ea etiam ipſa omnium. Hinc igitur Apoſtolus, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, II Tim. III, 16. *Omnis Scriptura divinitus eſt inſpirata.*

IV. Idipſum priſca & recentior Eccleſia ſemper agnovit, doctoreſque tum primæ tum ſequiorum ætatum teſtati & profeſſi ſunt. Irenæus libro ſecundo, cap. XLVII: *Credere hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectiſſimè ſcientes*, certiſſimè perſuaſi, *quia Scripturæ quidem perfectæ ſunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.* Origenes homiliâ ſecundâ in Ieremiam: *Sacra volumina Spiritus plenitudine ſpirant, nihilque eſt ſive in Prophetiâ, ſive in Lege, ſive in Evangelio, ſive in Apoſtolo, quod non à plenitudine divinæ majeſtatis deſcendat.* Ambroſius epiſtolâ LXIII: *Negant plerique noſtros ſecundum artem ſcripſiſſe. nec nos obnitimur. neque enim ſecundum artem ſcripſerunt, ſed ſecundum gratiam, quæ ſuper omnem artem eſt. Scripſerunt enim quæ Spiritus iis loqui dabat.* Auguſtinus undecimo de Civitate Dei, capite tertio: Filius Dei *priùs per Prophetas, deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos, quantum ſatis eſſe judicavit, loquutus,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*loquutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentiſſimæ auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per noſipſos noſſe idonei ſumus.* Gregorius Magnus Regeſti libro IV, epiſt. XL: *Quid eſt Scriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam?* Ad eumdem modum Macarius Aegyptius homiliâ XXXIX: τὰς θείας γραφὰς ὥσπερ ἐπιστολὰς ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς Θεὸς τοῖς ἀνθρώποις, δηλώσας δι' αὐτῶν, ἵνα παρακαλέσαντες τὸν Θεὸν καὶ πιστεύσαντες αἰτήσωσι καὶ λάβωσι δωρεὰν οὐράνιον. *Divinas Scripturas velut epiſtolas miſit rex Deus hominibus, per eas ſignificans, ut invocantes Deum & credentes petant & accipiant cæleſte donum.* Chryſoſtomus homiliâ III in poſteriorem ad Theſſalonicenſes: Ἐπιστολαὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἥκουσαι ἀναγινώσκονται. *Epiſtolæ quæ de cælo venerunt quotidie leguntur.* Ἐπιστολαὶ αὐταί εἰσι πεμφθεῖσαι παρὰ τοῦ Θεοῦ. *Epiſtolæ ipſæ à Deo miſſæ ſunt.* Thomas inter Scholaſticos princeps, Primâ, quæſt. I, in corpore art. X: *Auctor Sacræ ſcripturæ eſt Deus.* Idem ibidem, art. IIX ad II: *Sacra doctrina auctoritatibus canonicæ Scripturæ utitur propriè, ex neceſſitate argumentando: auctoritatibus autem aliorum doctorum eccleſiæ, quaſi arguendo ex propriis,* non extraneis, quales ſunt philoſophi, *ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt: non autem revelationi, ſi quæ fuit aliis doctoribus facta.* Item opuſculo primo, quod Græcis eſt oppoſitum, cap. XXX: *Fides noſtra non habet auctoritatem neque ab angelis, neque ab aliquibus miraculis factis, ſed à revelatione Patris per Filium & Spiritum ſanctum: licet etiam angeli ea, quæ ſunt fidei noſtræ, revelaverint aliquibus, ut Zachariæ, & Mariæ, & Joſepho; & etiam ad fidei robur miracula plurima facta ſint.* Item Quodli-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

beto VII, art. XIV: *Auctor principalis ſacræ ſcripturæ eſt Spiritus ſanctus: — homo fuit auctor inſtrumentalis.*

V. Videamus itidem, quomodo de Scripturâ canonicâ, cum alijs ſcriptis eam comparans, loquutus fuerit ſanctus Auguſtinus. Epiſtolâ XIX, *Ego*, inquit, *ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq́ deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaq́ præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili* (probâ & firmâ) *ratione, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Rurſus: *Sicut paullò antè dixi, tantummodo Scripturis canonicis hanc ingenuam debeo ſervitutem, quâ eas ſolas ita ſequar, ut conſcriptores earum nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe non dubitem.* Epiſtolâ XLIIX quum *Hilarij, Cypriani & Agrippini* mentionem feciſſet, ſubjungit, *Hoc genus literarum ab auctoritate canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, ut contra ſentire non liceat, ſicubi fortè aliter ſapuerint quàm veritas poſtulat.* De baptiſmo contra Donatiſtas libro ſecundo, cap. III: *Quis neſciat ſanctam ſcripturam canonicam tam Veteris quàm Novi teſtamenti certis ſuis terminis contineri, eamq́ omnibus poſteriorum Epiſcoporum literis*, & proinde etiam Romanorum decretalibus, *ita præponi, ut de illâ omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrum verum vel rectum ſit, quidquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit?*

VI. Adji-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

VI. Adjiciamus nunc etiam, quæ Gregorius de Valentia inſignis Ieſuita, & juxta genium ſectæ infallibilitatem Pontificis adſtruens, de Scripturâ & Pontificijs cum eâ comparatis decretis affirmat. Adſcribemus verba, quamvis pluſcula, ex commentario in Secundam ſecundæ, diſp. I, quæſt. I, puncto VII, parag. XLIII. *Cognitio ſacris expreſſa literis, quam Deus Canonicis ſcriptoribus indidit, quamq́; per illos voluit cæteris ſcripto patefieri, velut ſonorum quoddam verbum Dei eſt, quo is videlicet conceptum æternæ mentis ſuæ notitiamq́; veriſſimam hominibus eloquitur atque manifeſtat. Cæterùm cùm doctrinam hanc Spiritu ſancto dictante eſſe à ſacris auctoribus exceptam, litterisq́; mandatam dicimus, non utcunq; ſignificare volumus, Spiritu ſancto dirigente, ſacros auctores illam infallibiliter ſcripſiſſe. Nam & Pontifices ſummi certam quandam Spiritus ſancti aſſiſtentiam habent, cùm definiunt controverſias fidei, neque tamen illorum definitiones, quantumvis ab ipſis conſcripta, Scriptura ſacra ſunt, aut eſſe dicuntur, ſicut nunc quidem loquimur de Scriptura ſacrâ. Auctores igitur Canonicos ſcribere Spiritu ſancto dictante, ob eam rem propriè dicimus, quoniam in doctrina ſcripto tradendâ ſic illorum opera Spiritus ſanctus utitur, ut in eo quidem negotio, non tam illi agant, quàm agantur à Spiritu ſancto; planè inſtar calami, cùm uſurpatur à ſcriptore.—— Porrò ſacrum ſcriptorem agi potius à Spiritu ſancto, quàm agere, aſſerimus. Primò propter facilitatem, qua is Spiritu ſancto docente ac dirigente, cognoſcit ac ſcribit omnia etiam minutiſſima veriſſimè: cùm tamen Pontifex, ut rectè, hoc eſt, ſine culpâ definiat, ſtudio ac diligentiâ majore opus habeat, nec etiam omnia ſint certa ac infallibilia, quæ obiter ille inter definiendum aſſerit. —— Deinde ob eam cauſam quoque ſcriptorem ſacrum agi potius à Spiritu ſancto aſſerimus, quia etſi ſponte quidem*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*dem ſcribat, at ſcribit tamen omnino neceſſariò, ita ut (Spiritu ſancto ſic efficaciter volente) minimè in ipſius arbitrio ſit poſitum aut non ſcribere, aut alio modo, alio tempore, alÿs verbis ſcribere: cùm tamen ſummus Pontifex (quod ad eas quidem attinet definitionis circumſtantias) arbitrio ſuo libero in definiendo utatur.* Hæc Valentia.

VII. Conſtat itaque nullum hodie exſtare ſcriptum, nullum effatum, nullum teſtimonium, quod Sacræ ſcripturæ, quoad infallibilitatem & certitudinem, queat æquiparari. Tota ſcriptura eſt divinitus inſpirata. Auctores igitur ſive conditores Scripturæ nihil ſcripſerunt, niſi quod Deus eos voluit ſcribere, imò inſpiravit & in calamum quaſi dictavit; vel certè ita moderatus eſt, ne quidquam ſcriberetur, niſi quod eſſet ex re, vero & decoro. Quod ipſum de nullâ aliâ ſcripturâ vel doctrinâ, quæcumque tandem & ubicumque in univerſo terrarum orbe occurrat, affirmari poteſt. Quin, uti ex jam dictis conſtat, primarius Scripturæ auctor ſive conditor eſt ipſe Deus. Audivimus Gregorium de Valentiâ: audiamus alium adhuc Ieſuitam, Martinum Delrionem, cujus Proloquiorum in Pharum ſapientiæ capite primo hæc ſunt verba: *Auctor non mendaculus poëta, non rhetor garrulus, non ſophiſta captioſus, non philoſophus glorioſus; non, qui poſſunt ac ſolent errare hominum alius; non, quorum, ut libet magna, precaria tamen certisq; finibus comprehenſa ſcientia, ullus Angelorum: ſed ipſemet Deus, æterna, infallibilis, infinita bonitas & ſapientia. Sanctiſsima namq; Trinitas, cui abſolutè convenit ſoli Canonicam ſcripturam condere, primarius eſt ſacræ Scripturæ fons & auctor.*

IIX. Rectè igitur Alfonſus Toſtatus Præfatione in Matthæum, quæſt. V: *Magna, imò maxima omnium auctoritatum*

*tatum, quæ ſub cælo eſſe poteſt, eſt auctoritas Sacræ ſcripturæ.* Et in caput quartum Matthæi, quæſt. XXIIX : *Quia nulla eſt major auctoritas ſub Deo, quàm Sacræ ſcripturæ, qui per eam convincitur, firmiſſimè convincitur.* Nempe auctoritas Scripturæ eſt divina auctoritas, id eſt, Scriptura pollet divinâ virtute inducendi animos ad præbendum adſenſum. Et hanc habet non aliunde quàm ab ipſo Deo auctore ſuo. Sicut auctoritas hiſtoriæ Livianæ pendet ab auctore Livio; teſtimonij Tulliani à Tullio, & ſic cujusvis alterius à ſuo auctore, ut quanti ille ſit, tanti quoque idipſum habeatur. Scripturæ igitur auctoritas quia divina eſt, ideo etiam infallibilis eſt, ut per eam in fraudem vel errorem induci nemo poſſit. Deus enim auctor ejus per infinitam ſuam ſcientiam nihil ignorare, & per infinitam bonitatem nemini imponere poteſt. Inter homines enim alios ab alijs falli inde eſt, quòd veritatem vel per imperitiam neſciunt, vel per malitiam celant aut adulterant.

IX. Pariter quia Scripturæ auctoritas divina eſt, ideo etiam pollet, ut jam dictum fuit, maximâ virtute efficaciter movendi & trahendi animos ad adſenſum: in quâ ratio auctoritatis propriè ſive formaliter, ut loquimur, ſita eſt. Hæc vis, inquam, pendet à Deo agente cum ſuo verbo & per ſuum verbum, non tantùm concurſu generali ad modum cauſſæ primæ, ſed etiam ſpeciali gratiâ & illuminatione. Quæ ipſa cum verbo arctè adeo cohæret, ut ab eo numquam penitus abſit, imò ſine eo numquam, ſiquidem de hodierno ordinario divinæ illuminationis modo loquamur, adſit.

X. Atque hoc etiam peculiare divino verbo, teſtimonio ſive doctrinæ & ſcripturæ divinæ præ verbis, teſtimo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſtimonijs, doctrinis & ſcripturis humanis, quòd additam habet gratiam ſive adjunctum Spiritum divinum, qui animos audientium, quibus innoteſcit, illuminet, certosque reddat, hujuſmodi doctrinam ſive ſcripturam eſſe divinam, & ab alio primo auctore non profectam, quàm ab ipſo Deo. Homines ſuis ſcripturis addunt ſigna, è quibus genuinas ſive ab ipſis, quorum nomina præ ſe ferunt, ortas & editas eſſe appareat, qualia ſunt ſigilla, ſubſcriptiones: ſed hæc infallibilem certitudinem non pariunt. De cætero librum vel ſcriptum hujus illiúſve eſſe auctoris, probatur teſtimonio eorum, quibus res creditur eſſe comperta. Aliter de libris aut ſcriptis humanis, quos videlicet auctores habeant, non conſtat. Si doctrinæ & ſcripturæ divinæ aptemus, habet etiam ipſa, quæ auctorem Deum teſtentur, ſigna ſive miracula, quibus confirmata fuit: ſed hæc, quando de credendis ſupernaturalibus agitur, *mentem omnino convincere nequeunt*, ut agnoſcit Bellarminus; nec fuerunt perpetua, præſertim qualia & quanta primitus edebantur ſed patrari dudum deſierunt. Habet conſequutos ſucceſſus planè admirandos converſarum gentium: ſed hi non ſunt omnibus noti, minimè autem rudibus & idiotis, quales mortalium plerique ſunt. Quod igitur quibuscumque, quocumque etiam loco & tempore, verbum divinum Deo auctori acceptum ferendum eſſe firmiter perſuadeat, non eſt niſi gratia divina & vis quædam verbo divino indita ſive addita, & Spiritus ſanctus in auditorum vel lectorum animis internè operans, & certum atque infallibile verbo ſuo teſtimonium perhibens.

L. 6 de gr. & lib. arb, cap. 1.

1 Theſſ. 2, 3.

XI. Hinc itaque fuit, quòd Theſſalonicenſes λαβόντες λόγον ἀκοῆς τοῦ Θεοῦ acceptum ab Apoſtolis verbum

bum de Deo, quod audiebant, *excepere non ſicut verbum hominum, ſed (ut erat verè) ſicut Dei verbum, qui etiam agit,* ait ſanctus Paulus eos compellans, *in vobis qui creditis.* Hinc fuit, quòd *populus percelleretur ſuper doctrina* Servatoris : *docebat enim eos*, ait Evangeliſta Matthæus, *ut habens auctoritatem, non autem ut Scribæ.* Nempe quum Scribarum homiliæ frigidæ & elumbes eſſent, nec auditores afficerent, contrà Chriſti ſermones vividi erant & validi, animosque hominum ad præbendum adſenſum potenter commovebant. Hæc eſt ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, *demonſtratio ſpiritualis & potens ſive efficax*, in quâ, *& non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis præconium ſuum verſatum* fuiſſe docet Apoſtolus. Hinc Origenes libro adverſus Celſum primo rectè affirmat *diſciplinam noſtram* Chriſtianam *habere quamdam demonſtrationem propriam, diviniorem quàm ſint Græcorum demonſtrationes, quam Apoſtolus nominet demonſtrationem ſpiritus & virtutis, utpote Spiritu per prophetias fidem adſtruente iis, quæ de Chriſto docentur.* Sanctus Petrus diſertè Act. v, 32 : *Nos* Apoſtoli *ſumus ei* Ieſu Chriſto *teſtes horum quæ dicimus : atque etiam* (ne quis exiſtimet noſtro ſolo teſtimonio fideles commoveri & inniti) *Spiritus ſanctus, quem dedit Deus iis, qui obædiunt ipſi.* Sanctus Iohannes 1 epiſt. v, 6 : *Spiritus eſt, qui teſtificatur ſpiritum*, id eſt, doctrinam Spiritus, ſive quam pro miniſterium ſpiritus, (uti vocatur II Cor. III, 8) proponit & tradit, *veritatem eſſe.* Et paullò inferius verſu 10 : *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium* Dei (eam voculam addit Vulgata verſio) *in ſeipſo.* Hanc divinam ſancti Spiritus in animis credentium operationem vocat unctionem, cap. II, 27. *Unctio*, inquit, *docet vos de omnibus*, nempe de omnibus, quæ vobis ad ſalutem neceſſa-

c. 7. v. 28.

1 Cor. 2, 4.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ceſſaria. Ad hæc verba Auguſtinus, *Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt. — Magiſteria forinſecus, adjutoria quædam ſunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet.* Concione de geſtis cum Emerito: *Nos autem forinſecus percutimus, Deus novit intrinſecus loqui.* In evangelium Iohannis tractatu tertio: *Meliùs illud dicit qui intus habitat, quàm qui foris clamat.* De peccatorum meritis & remiſſione libro I, cap. XXV: *Audit homo dicentem vel hominem vel angelum, ſed ut ſentiat & cognoſcat verum eſſe quod dicitur, illo lumine intus mens ejus adſpergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Hinc Fulco Remenſis exhortatione ad Richildim reginam, quæ legitur apud Flodoardum hiſtoriæ Remenſis libro IV, cap. V: *Qui per me loquitur hæc in auribus veſtris, per ſeipſum loquatur in corde veſtro.* Huc etiam faciunt, quæ ſcribit Gregorius libro XXIX Moralium, cap. XIII. *Quilibet prædicator verba dare auribus poteſt, corda verò aperire non poteſt: & niſi per internam gratiam ſolus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium aditum præſtet, incaſſum prædicatio aure audientis percipitur, quæ pervenire ad intima corde ſurdo prohibetur.* Et homiliâ XXX in Evangelia: *Niſi ſpiritus cordi adſit audientis, ocioſus eſt ſermo doctoris. — Niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat.*

XII. Quum prophetaret Ieremias, & populo captivitatem, urbi excidium prædiceret, pſeudoprophetæ contraria promittebant. Quid ad hæc ipſe Dominus? Ier. 23, 28. *Propheta penes quem ſomnium eſt, enarret ſomnium; & penes quem eſt verbum meum, eloquatur verbum meum verè. Quid paleæ cum tritico? ait Dominus. Annon ita verbum meum eſt ut ignis? dicit Dominus, & ſicut malleus conterens petras?* Hiſce

virtus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

virtus & efficacia divini verbi indicatur & deſcribitur. nam, ut bene loquitur Albertus Magnus, *Verbum exiens ab ore verbi increati cum virtute ſonat.* In Iohann. cap. 4. 48.

XIII. Priſci doctores idem agnoverunt & paſſim inculcarunt. Paucorum teſtimonia apponemus. Origenes quarto περὶ ἀρχῶν: *Si quis cum omni ſtudio & reverentiâ, quâ dignum eſt, prophetica dicta conſideret, eo ipſo dum legit & diligentiùs intuetur, certum eſt quòd aliquo diviniore ſpiramine mentem ſenſumq́; pulſatus agnoſcet non humanitus eſſe prolatos eos, quos legit, ſed Dei eſſe ſermones; & ex ſemetipſo ſentiet non humanâ arte, nec mortali eloquio, ſed divino (ut ita dixerim) cothurno libros eſſe conſcriptos.* Clemens Stromatum ſeptimo κυριακὴν γραφὴν vocat ἀρχὴν ἀναπόδεικτον. Euſebius Demonſtrationis Evangelicæ libro tertio ait divinum verbum adjunctam habere θειοτέραν καὶ περὶ ἄνθρωπον δύναμιν καὶ συνέργειαν. Chryſoſtomus homiliâ in Natalem Domini: *Præconium verbi univerſum orbem, ubi quidem homines habitant, paucis annis occupavit, etiamſi tabernaculorum opifices, piſcatores, literarum ignari, & idiotæ ubique gentium illud divulgent. Nihil autem detrimenti vilitas miniſtrorum attulit, quum prædicati verbi vis omnia præoccupet, & impedimenta amoveat, & proprias vires demonſtret.* Tomo 5. Savil. or. 72. Salvianus tertio libro de Providentiâ: *Alia omnia, id eſt, humana dicta argumentis ac teſtibus egent: Dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt.* Nec Nemeſius incommodè libro de naturâ hominis, cap. 11: ἡ τῶν θείων λόγων διδασκαλία τὸ πιστὸν ἀφ᾽ ἑαυτῆς ἔχει, διὰ τὸ θεόπνευστον εἶναι. *Divinorum ſermonum doctrina à ſemetipſa ſortitur vim faciendæ fidei, inde quod divinitus eſt inſpirata.* Gregorius Nyſſenus de Gregorio Neocæſarienſi ſive Thaumaturgo diſſerens oſtendit eum repudiatâ Græcorum & Barbarorum theologiâ

ologiâ amplexum fuiſſe τὸν ἑστῶτα λόγον τῆς πίστεως, τὸν οὐδεμιᾷ λογικῇ τινὶ περιεργίᾳ, καὶ τεχνικαῖς πλοκαῖς κρατυνόμενον, ἀλλὰ δι' ἁπλότητος ῥημάτων ὁμοτίμως πᾶσιν καταγγελλόμενον, ὃς ἐν αὐτῷ τῷ ὑπὲρ τὴν πίστιν εἶναι, τὸ πιστὸν ἔχει. *ſtabilem & firmum fidei ſermonem, qui non exquiſita quadam & redundante verborum curioſitate, & artificioſis nexibus argumentorum confirmatur, ſed per ſimplicitatem verborum omnibus ex æquo annuntiatur; qui in hoc ipſo, quòd ſupra fidem eſt, vim fidei faciendæ habet.*

XIV. Pontificiorum & Ieſuitarum, qui vi veritatis adacti idipſum agnovere, dicta & teſtimonia produximus parte primâ Reſponſi Moguntinis oppoſiti, num. CXVII & ſeq. Adjicimus hîc non niſi unum Iacobi Andradij ex libro tertio Defenſionis concilij Tridentini. *Noſtri,* inquit, *Theologi minimè quidem arbitrantur, id ſolum ineſſe Scripturæ ſacræ momenti, quod illi Eccleſiæ ſuffragijs conceditur, ſed totum illius pondus Dei ipſius graviſſimæ auctoritati adſcribunt. — Quum item myſteria ſacris voluminibus comprehenſa, humanæ mentis vires mirum in modum excedant, oportere ajunt, quòd poſtquam ab Eccleſiâ quis didicit Evangelium Matthæi ſacrum eſſe, internâ Spiritus ſancti impulſione animus permoveatur, ut fidem Matthæi verbis adjungat. Gratias enim Paulus Deo agit*
1 Theſſ. 2, 13. *maximas, quòd quum ab eo Theſſalonicenſes accepiſſent verbum auditus Dei, hoc eſt, quum auribus percepiſſent verba, quibus Dei ipſe myſteria enuntiaverat, accepiſſent illud non ſicut verbum hominum, ſed, ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operabatur in illis qui credebant, hoc eſt, qui arcanâ quadam vi efficiebat, ut ſingulari ea fide, mente, & cogitatione proſequerentur, quæ corporis auribus uſurpaverant. — Vnde eſt ut non modò omne Scripturæ ſacræ pondus & auctoritatem, ſed ipſam etiam credendi actionem cæleſti muneri & afflatui adſcribant: Eccleſiæ verò ſacra tan-*

tum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*tummodo ſcripta pura & incorrupta conſervandi, atque omnium mortalium generi illa proponendi munus attribuant.* Hæc ſatis rectè Andradius.

XV. Ad eum modum præeunte Scripturâ ſacrâ, & conſentientibus melioribus priſci ævi, quin ipſis etiam Pontificijs doctoribus, neceſſitatem ſpecialis divinæ gratiæ divino verbo inditæ & annexæ, intusque & in animo operantis adſtruimus: quod dum facimus, Pelagianiſmum evitamus: dum verò hanc non niſi cum verbo & per verbum extrinſecus acceptum ſeſe exſerere & operari adſerimus, ἐνθουσιαστὰς repudiamus. Quum enim Deus in ſuo verbo inevidenter nobis loquatur, niſi ipſe cum ſuo illo verbo ſive per illud verbum ſe nobis loqui perſuaſerit, quis alius aut quibus rationibus id efficaciter evincet? Si fiat argumentum: Quidquid Deus dicit & docet, verum eſt. Quidquid Scripturis continetur, Deus dicit & docet. Ergo. Si hujusmodi, inquam, argumento facto Minor evinci poſſet vel evidentibus è lumine naturæ ductis rationibus, vel irrefragabilibus teſtimonijs humanis, tum Concluſio parem participaret certitudinem. Fides igitur indubitata haberi poſſet abſque peculiari intrinſecâ gratiâ & illuminatione divinâ. quod dudum communi conſenſu in Pelagianis damnatum eſt. Ergo reliquum eſt, ut Deus ipſe verbo ſuo in animis humanis teſtimonium perhibeat, eosque ſuâ gratiâ & virtute intrinſecus operante ad fidem perducat. Rectè itaque Franciſcus Suarez Tractatu de Fide, diſp. III, ſectione XII: *In actu exercito dum Deus aliquid dicit, quaſi per intrinſecam reflexionem, ejusdem actus in ſeipſum, dicit ſe dicere. — Hoc ergo modo divinum verbum & rem dictam & ſeipſum dicit; & hac ratione*

*per fidem infuſam creditur, non per reſolutionem in aliud verbum, ſed per ſeipſum.*

XVI. Illuſtrari res poteſt exemplo principiorum notorum per ſe, ut loquimur, ſive per naturale rationis lumen & habitum, quem νῦν vel intellectum, vocabulo peculiariter huic rei accommodato, appellavit Ariſtoteles. Cognoſcuntur videlicet per ſimplicem apprehenſionem & notitiam terminorum, citra diſcurſum & aliunde ducta argumenta: ita quoque fides, quæ verbo divinitus revelato adſentitur, propriè in ſimplice apprehenſione & non in diſcurſu conſiſtit. Quod ibi animo apprehendentis eſt lumen naturale, id hic eſt gratia & illuminatio ſupernaturalis: & ſicut ibi animus naturali facultate intelligendi inſtructus adſequitur & apprehendit veritatem ejuſmodi principiorum; ita hîc idem animus, dum revelationes divinas divino verbo ſive Scripturis expoſitas, non ſolâ, quam diximus, naturali facultate præditus, ſed interna ſancti Spiritus gratiâ verbo junctâ & cum verbo data illuminatus conſiderat, intelligit has ipſas revelationes divinas eſſe, ſive à Deo profectas. Sicut itaque, quod principia per ſe nota attinet, ratio adſentiendi eſt, quòd ſint per ſe nota; & ab his ipſis tamen propoſitionibus ſive principijs reapſe non diſtinguitur τὸ *notum eſſe per ſe*, ſed uno & eodem conceptu concipiuntur tamquam nota per ſe, & propterea tamquam veriſſima, quibus adſenſum præberi omnino oporteat: ita quoque quod haſce divinas revelationes attinet, ratio adſentiendi eſt, quòd divinitus ſint revelatæ, & ſub hac ipsâ ratione tamquam veriſſimæ & adſenſu digniſſimæ apprehenduntur & creduntur. Sicut autem nihilominus de principijs per ſe notis, ubi opus eſt & res exigit,

diſcur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

diſcurſus aliquis poteſt inſtitui; & habitum, quo id præſtatur, Sapientiam appellant Philoſophi: ita quoque de fide & revelationibus per fidem creditis, quando quomodo inter ſe conveniant & cohæreant, expenditur, diſcurſus datur; quem accuratè inſtituere, & fidem ab ijs, quæ objiciuntur, adſenſumque impedire vel turbare poſſunt, vindicare, habitus eſt non ipſius fidei ſecundum ſe, ſed Theologiæ.

XVII. Hactenus itaque demonſtravimus & declaravimus adſenſum fidei, quem revelationibus divinis præbet homo fidelis, pendere à gratia divinâ, & teſtificatione ac efficaciâ Spiritus ſancti, ut à cauſsâ præcipuâ, inſenſibili, intrinſecus operante & ad habendam fidem commovente; à verbo autem, ut à cauſsâ inſtrumentali, ſenſibili, extrinſecus agente: priore aſſertione excludi Pelagianiſmum, poſteriore Enthuſiaſmum, duos ſcopulos hic inprimis cavendos. Nempe Evangelium (ut de eo, utpote remotiore à naturali notitiâ, quaſi ſeorſim & peculiariter loquamur) ab Eccleſiæ capite Ieſu Chriſto & ab auctore ſuo Spiritu ſancto ejusque inſeparabili influxu illam trahit virtutem & efficaciam ſibi ſemper & perpetuò innexam, ſive audiat civis, ſive peregrinus, vel qui prope, vel qui procul, ſive rudis, ſive eruditus, ut animum ejus inenarrabili quadam vi ſubeat, percellat, aſſiciat, ſibique devinciat, atque adeo ut potens ſit ſibi fidem efficere & credenti ſalutem. *Evangelium* enim *eſt potentia Dei*, id eſt, potens & efficax organum Dei, *ad ſalutem omni credenti* per idipſum conficiendam & conferendam. Illam vim, quam aliàs divinam gratiam, Spiritus ſancti opem, virtutem, ἐνέργειαν & teſtimonium aut etiam ſupernaturale lumen appellamus, Deus ſuo verbo Rom. 1, 16.

adjun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

adjunxit, & quaſi indidit. nam quia cum eo arctè adeo cohæret, ut ab eo numquam penitus abſit, imò ſine eo numquam, ſi quidem ordinarium modum attendamus, adſit, ideo ipſius quoque verbi eſſe, ſive ipſi verbo ineſſe, & per illud fidem & ſalutem operari dicitur. Inde etiam eſt, quòd evangelium effectu ſuo non caret, & in animis auditorum fidem excitare poteſt, etiamſi ab hominibus vel externâ & in oculos incurrente dignitate ſive auctoritate deſtitutis, ut olim ab Apoſtolis, vel probitate & virtute vacuis, ut ſæpe factum & hodie etiam aliquando fit, annuncietur. Eſca enim ſecundum ſe ſalubris non deſinit talis eſſe eſca, etiamſi à corvo, impurâ a-
1 Reg. 4, 6. ve, ut quondam Eliæ, afferatur.

XIIX. At dicit Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti cap. V: *Ego non crederem Evangelio, niſi me eccleſiæ catholicæ auctoritas commoveret.* Vt cuncta rectiùs intelligantur, obſervandum eſt auctoritatem eccleſiæ duplicem eſſe, unam quaſi ſenſibilem & externam, quatenus ipſa videlicet aliquamdiu fuit & hodie eſt multitudo & congregatio ampliſſima & nobiliſſima, complexa florem generis humani. nam quod in eo eruditum eſt, & animos habet diſciplinis imbutos, & proinde de rebus ac religione judicandi & vera à falſis diſcernendi ſolertiâ pollentes, id totum intra catholicæ eccleſiæ pomœria continetur: quod extra eam deprehenditur, ferè rude & barbarum eſt, cujus judicium nemo prudens magni fecerit. Sub initia naſcentis eccleſiæ aliter ſeſe res habebat. *Non* erant enim in eâ *multi ſapientes, non multi potentes, non multi nobiles*, 1 Cor. 1, 26. Cæterùm auctoritas iſta, quam diximus, non niſi humana eſt, nec fidem parit niſi humanam, magis apta ſuadere & inducere, quàm convincere.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Et quum primæ eccleſiæ deeſſet, locum ejus ſupplebant miracula. Deus enim ſemper præſtò eſſe voluit, quo homines comiter ad agnoſcendam & amplectendam veritatem induci poſſent. Quanta tamen & qualis ſit iſta auctoritas, non capitur niſi ab hominibus rerum humanarum peritis, & ſtatus mundani gnaris, atque adeo comparationem inter populos, qui intra & extra eccleſiam ſunt, inſtituere idoneis.

XIX. Alia eſt auctoritas Eccleſiæ propria, ſed nemini infidelium cognita vel credita, quam liceat inſenſibilem vel internam appellare. Hæc enim ipſa Eccleſiæ competit per peculiarem gratiam, directionem & adſiſtentiam principis ſui capitisque Chriſti, & Spiritus ſancti, per quam fit, ut univerſa in rebus ad ſalutem neceſſarijs errare nequeat. Et hactenus catholica ſive univerſalis eccleſia infallibilis, atque adeo *columna & firmamentum veritatis* eſt, quod elogium ei tribuit Apoſtolus 1 Timoth. III, 15. Particulari eccleſiæ idipſum competit, non abſolutè & ſimpliciter, ſed quouſque catholicæ vivum & verum membrum eſſe perſeverat. Sicut autem particularis eccleſia poteſt deficere, ita quoque elogium hoc amittere. Inde dixit Toſtatus, (quod obiter annotetur) *ſoli eccleſiæ univerſali convenire: quæ numquam*, inquit, *errat, quia numquam tota errat*. Et alibi: *Eccleſia Latinorum non eſt eccleſia univerſalis, ſed quædam pars ejus: ideo etiamſi tota ipſa erraſſet, non errabat eccleſia univerſalis, quia manet eccleſia univerſalis in partibus illis, quæ non errant, ſive illæ ſint plures numero quàm errantes, ſive non.*

Præfat. in Matth. quæſt. 13. Ad prol 2. in Matth. quæſt. 4.

XX. Eſſe verò Eccleſiam hoc, quem diximus, modo ab erroribus immunem, non conſtat niſi ex prædictionibus, & ex promiſſionibus, quas utraſque Scri-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ptura proponit. Lucæ I, 33: *Regnabit in domo Jacobi*, id eſt eccleſiâ, *in æternum, & regni ejus non erit finis.* Iohan. XIV, 16: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum: nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non poteſt recipere.* Matth. XXIIX, 20: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* XVI, 18: *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferorum non ſuperabunt eam.* Non itaque peſſum dabunt perſequutiones, non adeo inundabunt flagitia, non tantopere invalebunt hæreſes vel errores fundamentum ſalutis ſubruentes, ut nulla umquam vel ullibi ſuperfutura ſit Eccleſia.

XXI. Quoniam igitur hæ prædictiones & promiſſiones, & his innixæ infallibilitas & auctoritas per Scripturam innoteſcunt, manifeſtum eſt infidelem, & qui Scripturam non agnoſcat vel admittat, hac ipsâ auctoritate ad Scripturam vel religionem amplectendam commoveri non poſſe. Res adeo eſt perſpicua, ut coëgerit Melchiorem Canum fateri, *rationem formalem noſtræ fidei non eſſe Eccleſiæ auctoritatem, hoc eſt, fidei ultimam reſolutionem non fieri in Eccleſiæ teſtimonium. Apoſtoli,* inquit, *& Prophetæ reſolvebant ultimò fidem ſuam in divinam & auctoritatem & veritatem. Ergo nos in humanam eccleſiæ auctoritatem fidem noſtram non reſolvimus. Eadem enim fides eſt, idemq́; proinde habet objectum, rationemq́; formalem. Confirmat autem hoc vel maximè, quòd ea, quæ per accidens contingunt objecto alicujus habitus, non variant illius objecti formalem rationem: ſed articulos credendos proponi per hos aut illos homines, per accidens omnino contingit. Cùm ergo Prophetæ & Apoſtoli aſſentirentur articulis fidei, quia Deus revelavit; eandem quoque nos credendi rationem habebimus.* Addit, *ultimam fidei*

Lib. I Locorum c. 8.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*fidei noſtræ reſolutionem fieri in cauſſam interiorem efficientem, hoc eſt, in Deum moventem ad credendum.* Plura, qui volet, in eamdem ſententiam legere ibi poterit. Res ſanè, ut dixi, adeo eſt perſpicua, ut etiam coëgerit Franciſcum Suarez loco ſuperiùs allegato reprehendere illos, qui docent, *quòd fides noſtra reſolvatur in auctoritatem eccleſiæ. nam ſi id intelligant*, inquit, *de illâ auctoritate, ut humana eſt, omnino falſum dicunt, — quia illa non eſt fundamentum fidei. Si verò loquantur de auctoritate eccleſiæ, ut regitur à Spiritu ſancto, ſic non ſufficit illam credere vel illi credere fide acquiſitâ, ſed neceſſarium eſt credere fide infusâ, quæ reſolvenda eſt in illud principium, Quod DEVS dixit & promiſit adſiſtentiam Spiritus ſancti ſuæ eccleſiæ: & ita neceſſe eſt tandem recurrere ad doctrinam traditam*, imò ad Scripturam. Auctoritas itaque, quam humanâ majorem Eccleſia obtinet, in ordine ad noſtram cognitionem ab auctoritate Scripturæ pendet; non hæc ab illâ.

XXII. Interim qui alteram cognoſcere & æſtimare potuerit, ut ſanè potuit Auguſtinus, ei fuerit non modò occaſio credendi, ſed etiam motivum, quo ad credendum invitetur & inducatur. E quo tamen proximè & propriè non niſi fides humana & acquiſita oritur, ut expoſitum fuit. Hac itaque ſe commotum, & ut Scripturam admitteret, inductum fuiſſe, affirmare Auguſtinum nihil eſt mirum. Qui tamen eodem contra Cap. 14. epiſtolam fundamenti libro fidem conſummatam tribuit *non hominibus, ſed ipſi Deo, intrinſecus mentem noſtram firmanti atque illuminanti.*

XXIII. Dum hæc recenſeo, incido in commentarium Aegidij Coninck Bellani Ieſuitæ & Profeſſoris Lovanienſis de actibus ſupernaturalibus, propemodum

 eadem,

eadem, quæ nos hic, docentis, & eodem modo Auguſtini dictum exponentis. Lubet nonnulla apponere. Sic enim loquitur diſp. IX, dubio V, concl. III: *Nota Eccleſiam dupliciter poſſe conſiderari. Primò, prout eſt congregatio hominum toto orbe diſperſorum, conſtans pluribus viris ſummâ doctrinâ ac vitæ ſanctimonia illuſtribus. — Et hac ratione Eccleſiæ auctoritas eſt quidem inter res humanas maxima, quæq; meritò cuivis prudenti perſuadeat, ut omnem ejus doctrinam tamquam omnino indubitatam amplectatur; eſt tamen naturalis & humana. Secundò, conſiderari poteſt, prout infallibiliter à Spiritu ſancto dirigitur.—— Quia tamen de hac Spiritus ſancti aſſiſtentiâ nobis ſolâ fide ex Scripturæ teſtimonio conſtat, auctoritas Eccleſiæ hoc modo conſiderata ſolos fideles dirigit, aut eos qui ſaltem Scripturæ credunt. Priore verò modo conſiderata cùm naturalibus argumentis clarè probari poſſit; etiam omnino infidelium judicium dirigere poteſt.* Eorum ſanè infidelium judicium dirigere poteſt, qui dum inter diverſas mundi religiones ambigunt, illas inter ſe comparare poſſunt, & quanta ſit univerſalis Chriſtianæ eccleſiæ præ cæteris ſectis amplitudo, antiquitas, præſtantia & dignitas, quod tamen plerorumq; captum excedit, adſequuntur & intelligunt. *Hinc patet*, inquit Bellanus, *Auguſtinum meritò dixiſſe, Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ catholicæ me commoveret auctoritas.*

XXIV. Non erit nullum operæ precium, ſi quomodo Auguſtini dictum Gregorius Ariminenſis celebris inter Scholaſticos expoſuerit, ſubjiciamus. Verba ejus ſunt Prologi quæſt. I, art. II: *Non dixit ſe credere evangelio per adſenſum, quem habeat ad aliquod aliud principium, ex quo evangelium demonſtretur vel probetur eſſe verum: ſed ſolùm ex auctoritate eccleſiæ tamquam ex cauſâ movente*

*ipſum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*ipſum ad fidem evangelij. Et eſt quaſi ſimile huic dicto, quod iſte vel alius dicere potuiſſet; Non crederem evangelio, niſi me eccleſiæ ſanctitas commoveret. Vel ſi tempore Chriſti dixiſſet aliquis credentium; Non crederem evangelio, niſi me Chriſti miracula moverent. Ex quibus dictis etſi fidei evangelicæ aliqua cauſſa adſignaretur in talibus: non tamen aliquod principium primum, cujus fides cauſſa eſſet, ut evangelio crederetur.* Hæc Ariminenſis: quæ ſequitur & tantùm non deſcribit Cameracenſis ad primum Sent. quæſt. 1, art. III. Iungo verba Thomæ VValdenſis è Doctrinalis libro II, cap. XXI. *Non laudo ſupercilium, quod quidam attollunt, volentes occaſione hujus dicti decretum Patrum in eccleſiâ majoris eſſe auctoritatis, culminis & ponderis, quàm ſit auctoritas Scripturarum. Quod quidem non tam videtur ineptum, quàm fatuum; niſi quis talis dicat, Philippum fuiſſe majorem Chriſto, quando induxit Nathanaëlem ad credendum, Chriſtum eſſe illum,* Ioh. 1, 46. *quem ſcripſit Moſes in lege, & Prophetis: ſine cujus auctoritate tunc non advertiſſet. Et ſi ſic; dicat conformiter, parentes noſtros carnales aut pædagogos eſſe altiores & eminentiores Chriſto: quia eorum auctoritate ab infantia didicimus, quid de Chriſto ſit credendum, quid ſperandum.* Hæc ſcriptores ſub medio ipſo Papatu.

XXV. Durandus quidem Eccleſiæ plus quàm oportebat, tribuit: reſtringit tamen ad primam & Apoſtolicam eccleſiam. *Quod dictum eſt*, inquit, *de approbatione Scripturæ per Eccleſiam, intelligitur ſolum de Eccleſiâ,* In 3. diſt. 24 qu. I. *quæ fuit tempore Apoſtolorum, qui fuerunt repleti Spiritu ſancto, & nihilominus viderunt miracula Chriſti, & audierunt ejus doctrinam, & ob hoc fuerunt convenientes teſtes omnium, quæ Chriſtus fecit aut docuit, ut per eorum teſtimonium Scriptura continens facta & dicta Chriſti approbaretur.* Sequitur



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

eum Iohannes Gerſon, & quum mentionem ejus feciſ-
De vitâ ſp. animæ lect. 2. cor. 7. ſet, ſubjicit, *Hic aperitur modus intelligendi illud Auguſtini; Evangelio non crederem &c. Ibi enim eccleſiam ſumit pro primitiva congregatione fidelium eorum, qui Chriſtum viderunt, audierunt, & ſui teſtes exſtiterunt.* Eodem inclinat Thomas VValdenſis, loco paullò antè adducto. *Sufficiat,* inquit, *univerſali eccleſiæ pro præconio poteſtatis ſuæ modernæ, quòd olim hoc fecerit, unde gloria poteſtatis ejus, quaſi per cujusdam majeſtatis imperium, valeret ad poſteros; ita quòd adhuc ſine ejus,* primæ ſcilicet eccleſiæ, *auctoritate ſcriptura aliqua nec legi poterit nec haberi pro certâ. Et hoc ſapuit, cùm diceret Auguſtinus, Evangelio non crederem &c.* Sequuntur verba ſuperiùs prolata, quibus tamen ipſi priſcæ eccleſiæ non tribuit, niſi auctoritatem teſtificandi; & ſubjicit: *Longè diſtat auctoritas Scripturarum, & eminet auctoritati,* ſive præ auctoritate *cunctorum doctorum etiam totius eccleſiæ catholicæ: quamvis ſuper ejus auctoritate catholica atteſtetur eccleſia.*

XXVI. Eodem modo accepit & intellexit Iohannes Driedo, opere de Eccleſiaſticis ſcripturis & dogmatibus ante cx annos, & quod excurrit, ſcripto. Verba
Lib. 4. c. 4 ejus hic legi digna. *Prior,* inquit, *notior & vetuſtior eſt auctoritas Scripturæ, quàm ejus eccleſiæ, quæ nunc eſt. Nam & hujuſcemodi eccleſia, quæ nunc eſt, ex Scripturis ſacris quærenda eſt & cognoſcenda. Auguſtinus autem cùm dicit; Ego evangelio non crederem, niſi me catholicæ eccleſiæ commoneret* (ita ſanè videtur Driedo legiſſe) *auctoritas; intelligit de eccleſiâ catholicâ, quæ fuit ab initio Chriſtianæ fidei ſecundùm ſeriem ſucceſſionis epiſcoporum creſcens ad hæc uſque tempora, quæ ſanè eccleſia complectitur collegium Apoſtolorum, qui Chriſtum & miracula ejus videntes, doctrinamq; fidei ex ore*

ejus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*ejus audientes, ſcripturas evangelicas tradiderunt, qui & ſpiritum intelligendi prophetas, ſalutisq́ noſtræ myſteria inviſibilibus ſignis cœlitus acceperunt, corroborantes doctrinæ ſuæ veritatem prodigijs & miraculis. Vnde tantæ auctoritatis eſt Scriptura ſemel ab eiſdem Apoſtolis tradita ſeu approbata, ut etiam ipſi Apoſtoli fuiſſent anathema, neque manſiſſent eccleſiæ membra, ſi ſententiam fidei ab ipſis prædicatæ mutantes, incepiſſent doctrinam contrariam evangelijs tradere. Verbum enim ſemel divino ſpiritu enunciatum, manet in æternum.— De eccleſiâ autem quæ nunc eſt, intelligendo eam, ut præciſam ſeu abſtractam ſeu nudam & abſque cohærentiâ in fide & moribus cum eccleſiis quæ fuerunt in prioribus ſeculis, diceret Auguſtinus; Ego hujus eccleſiæ homines non agnoſcerem eſſe eccleſiam Chriſti, niſi doceret me quatuor evangeliorum auctoritas; ego eccleſiæ non crederem ſi aliud evangelium nobis evangelizaret, ſi Apoſtolorum doctrinas non doceret.*

XXVII. Verius tamen eſt Auguſtinum de eccleſiâ ſuæ ætatis loquutum eſſe, quòd videlicet, quum Manichæus adhuc eſſet, ejus partim auctoritate externâ ſibi cognitâ, partim operâ, ut evangelio crederet, commotus & inductus fuerit. *Ipſi*, ait, *evangelio catholicis prædicantibus credidi.* Et alio loco, quo ſuæ converſionis ſeriem diſertiùs exponit, nempe libro VI confeſſionum, cap. V: *Quum eſſemus infirmi ad inveniendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus eſſet auctoritate ſanctarum literarum, jam credere cœperam nullo modo te* ô Deus, *fuiſſe tributurum tam excellentem illi ſcripturæ per omnes jam terras auctoritatem, niſi & per ipſam tibi credi & per ipſam te quæri voluiſſes.* Cæterùm Durandus ipſe, etiamſi ex dicto Auguſtini conatus fuerit elicere, *primum inter credibilia, quod ſit ratio credendi alia, & ad quod fiat ultima reſolutio* Loco allegato.

*tio credibilium, eſſe, Credere eccleſiam regi à Spiritu ſancto*; paullò poſt, *Si tamen*, inquit, *ratio formalis credibilium complexorum diceretur eſſe medium, per quod eis adſentitur*, ſive quod animum movet, ut adſenſum fide immotâ præbeat; *ſic dicendum eſſet, quòd illa eſſet auctoritas divina regens Eccleſiam, & revelans Scripturam: per hanc enim, tamquam per medium, adſentimus omnibus credibilibus, ſicut per demonſtrationem adſentimus ſcitis, & per ſyllogiſmum dialecticum opinatis*. Item Driedo: *Animus verè Chriſtianus, credens ex verâ fide, credit propter vocem Dei intus loquentis, accipiens evangelia & verba Dei intus docentis & revelantis*. Quemadmodum autem propterea non excluditur opera, indicium & teſtimonium eccleſiæ· ſic etiam non efficitur, ut ab hac operâ, indicio ſive teſtimonio, & non ab ipsâ Scripturâ & virtute Spiritus ſancti ei conjunctâ, tamquam à cauſsâ per ſe, fides verè Chriſtiana, quâ Scripturam Dei verbum eſſe intelligimus & immoto adſenſu credimus, pendeat.

XXIIX. Ita ſi in magnâ & populosâ urbe ſapientem virum quærerem, & diu quæſitum Davus tandem commonſtraret; commonſtratum ego adirem & colloquerer: num eum ſapientem virum eſſe, quia Davus dixiſſet, crederem, & non potiùs quia ex ipſo & ſermonibus ipſius, qui vir eſſet, cognoſcerem? Ita ex indicio & teſtimonio mulieris Chriſtum Samaritani agnoſcere
Ioan. 4. 39. re cœperunt: & *multi crediderunt in eum propter ſermonem mulieris, teſtantis, Certè dixit mihi omnia, quæ feci. Quum ergo veniſſent ad eum Samaritani, rogarunt eum, ut apud ipſos maneret: & manſit ibi duos dies. Ac multò plures crediderunt propter ſermonem ipſius. Et illi mulieri dicebant, Non amplius propter tuos ſermones credimus: ipſi enim audivimus,*

*& ſci-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*& ſcimus hunc eſſe verè Servatorem illum mundi Chriſtum.* Sicut, inquam, indicium & teſtimonium mulieris ad Chriſtum adduxit; adductos autem, ut Chriſtum eſſe indubitatò crederent, ipſe Chriſtus ejusque ſermo permovit & impulit: ita etiam Eccleſiæ indicium ac teſtimonium ad Scripturam homines deducit; deductorum autem animos Scriptura ipſa ita percellit, ut eam Dei verbum eſſe intelligant, & firmiter credant. Et cum Samaritanis tunc oportebit dici: *Non amplius propter tuos ſermones ſive teſtimonium credimus: ipſi enim audivimus & ſcimus.* Excluditur videlicet idipſum ſive indicium ſive teſtimonium, non ut occaſio, quin ne quidem ut inducens, ſed ut evincens, à quo per ſe fides pendeat. Quando autem inducens & evincens inter ſe comparantur, præ hujus efficaciâ quod ab inducente efficiebatur, evaneſcit quaſi & nihili fit. Rectè enim Albertus Magnus in hunc locum: *Jam non propter tuam loquelam, quæ comparatione ejus, quod vidimus, nihil eſt. Non enim jam propter humanam rationem credimus, quamvis per illam inducti ſimus: ſed ipſi veritati propter ſe & ſuper omnia adſentimur.* Eumdem locum in eamdem ſententiam accipit Gulielmus Antiſiodorenſis, quando ſub initium ſuæ Summæ in hunc modum ſcribit: *Quum habet quis veram fidem, & rationes, quibus oſtendi poßit fides; mens non innititur primæ veritati propter illas rationes, ſed acquieſcit potiùs illis rationibus, quia conſentiunt primæ veritati, & ei atteſtantur. Quod ſignificatur per Samaritanos Iohan.* IV; *per quos ſignificantur rectè credentes: qui videntes Jeſum per veram fidem, dicunt Samaritanæ, id eſt, rationi humanæ, jam non propter te credimus, ſed quia ipſi vidimus & audivimus.*

XXIX, Officium eſt Eccleſiæ, ut indicium faciat,

 teſti-

teſtimonium perhibeat, codices accuratè ſervet, promtè ſuppeditet, ad legendum & perpendendum incitet, operam in explicando præſtet. Et communiter quidem ſine talibus officijs, quæ per unum vel plures è ſuis Eccleſia obeat, infideles non convertuntur: ut proinde opera hæc, quam eccleſia præſtat, ut plurimùm cauſſa ſit, ſine quâ non converterentur, ſive ad Scripturam agnoſcendam adducerentur infideles. Quæ tamen quando præſtatur, hoc ipſo auctoritas dignitasque eccleſiæ non ſemper inculcantur: imò plerumque eum, qui convertitur, planè fugiunt, & ignorantur. Quin ſi ſtatus eccleſiæ, qualis eſt hodie, paullò accuratiùs fuerit cognitus, per ingentia, quibus in partes diſcerpitur, ſchiſmata hominem magis deterrere poterit, quàm allicere, & incertum, quò ſe vertat, reddere. Providentia quidem Dei per operam eccleſiæ ſacros libros conſervat, & integros ac incorruptos præſtat. Fieri autem poteſt, ut ſine omni aliâ eccleſiæ operâ fides Scripturæ præbeatur, nempe ſi in ſacrum codicem forte fortunâ ſive quocumque caſu quis incidat, vel in mediâ viâ inveniat, tollat, legat & evolvat. Vt itaque liqueat, adſenſum veræ & indubitatæ fidei, qui Scripturæ à Chriſtianis præbetur, ab ipsâ Scripturâ, quocumque tandem modo homini offeratur, & in notitiam veniat, cum deſiderio & ſtudio cognoſcendæ veritatis ad ſalutem neceſſariæ conſideratâ, atque adeo à virtute & efficaciâ, quam ſibi ſuæque tali conſiderationi adjunctam & à Spiritu ſancto manantem obtinet, minimè verò ab eccleſiæ auctoritate, tamquam à cauſsâ per ſe, pendere; ideo nonnulla ex ethniciſmo & Iudaiſmo converſorum exempla, partim antiqua, partim recentia, in medium proferemus.

XXX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

**XXX.** Iuſtinus dialogo cum Tryphone narrat, Sub init. quomodo de veritate & indipiſcendo fine homini proprio ſollicitus in ſenem οὐκ εὐκαταφρόνητον, πρᾷον καὶ σεμνὸν ἦθος ἐμφαίνοντα, *adſpectu minimè contemnendum, leneſq; & graves mores præ ſe ferentem* inciderit; qui poſt varios ſermones ultrò citroque habitos tandem in hunc modum diſſeruerit: *Fuerunt aliqui ante multa tempora omnibus iſtis, qui habiti ſunt philoſophi, longè antiquiores, beati, juſti, Dei amantes & Deo cari, divino Spiritu afflati, & futura, quæ nunc in rem conferuntur, vaticinati. Prophetas eos appellant. Hi ſoli, quid verum ſit, & viderunt, & hominibus renunciarunt; neque obſervantes neque metuentes quemquam, neque gloriæ cupiditate victi; ſed dumtaxat loquuti quæ audierunt & viderunt, Spiritu ſancto repleti. Libri verò eorum etiam nunc exſtant: in quos ſi quis inciderit, legerit, fidemq; habuerit, plurimùm profecerit quod attinet notitiam principiorum, & finis, & eorum, quæ philoſophum noviſſe oportet. Neutiquam autem illi per demonſtrationes ſcripta ſua compoſuere; ut qui longiſſimè ſupra demonſtrationem omnem, locupletes & idonei fuerint veritatis teſtes. Porro & quæ evenerunt, & quæ eveniunt, adigunt aſſentiri eis quæ ab illis ſunt dicta. Quin & propter miracula quæ edidere, ut eis crederetur, digni reperti ſunt. Conditorem certè univerſitatis hujus Deum & Patrem glorificaverunt, & eum, qui ab illo miſſus eſt, Chriſtum filium ejus annunciaverunt: quod qui ſeductore & impuro ſpiritu repleti ſunt, Pſeudoprophetæ neq; fecerunt, neq; faciunt: ſed prodigia quædam, ad ſtuporem hominibus incutiendum, producunt, & impoſtores ſpiritus atq; dæmonia magnificè deprædicant. Tu verò votis precibuſq;, ut tibi ante omnia portæ lucis aperiantur, inſta. Neque enim ab aliis conſpici vel cognoſci poſſunt, præterquam ab iis, quibus Deus & Chriſtus ejus conceſſerint. Hæc &*



*plura*

*plura alia, quorum commemorandorum nunc tempus non eſt, quum ille expoſuiſſet, & me ſectari juſsiſſet, abŷt; nec eum poſtea ego vidi. Confeſtim autem animum meum invaſit ardor, & occupavit amor Prophetarum, eorumq́ virorum, qui Chriſto cari: & expendens mecum ſermonem ejus, hanc unicam comperi ſolidam eſſe & utilem philoſophiam. Atque ad eum modum & per hæc ipſa philoſophus*, verus ſcilicet & qui à vero hominis fine non aberraret, *evaſi.* Hæc Iuſtinus.

XXXI. Poſt Iuſtinum audiamus etiam Tatianum de ſuâ converſione in oratione contra Græcos diſſerentem. Quum deprehendiſſem, inquit, abſurditatem
ultra med. cultus Deorum *in me deſcendens, quo modo tandem veritate potirer, inquirebam. Et quum diligenter circumſpicerem, in ſcripturas quaſdam barbaras* (non-græcas) *mihi contigit incidere, antiquiores quidem multò, quàm ſunt Græcorum dogmata, & diviniores, quàm horum errores. His mihi contigit fidem adhibere, quòd dictio eſſet minimè phalerata, & quæ dicebantur, non affectata, & quæ de univerſi creatione proponebantur, perceptu facilia, præterea quòd futura prædicerentur, eximia promitterentur, denique unus omnium dominus & monarcha perhiberetur.* Θεοδιδάκτου δὲ μου γενομένης τῆς ψυχῆς, *Itaque quum mens mea divinitus edocta eſſet, intellexi &c.* Per lectionem itaque Scripturæ facta eſt mens ejus θεοδίδακτος.

XXXII. Theophilus Antiochenus libro primo ad Autolycum: *Et ego aliquando haut credebam reſurrectionem futuram, ſed nunc credo poſtquam iſta expendi, ſimul etiam incidens in ſacras ſcripturas ſanctorum prophetarum, qui per ſpiritum Dei enunciarunt quæ facta fuerunt, quomodo ſunt facta; & præſentia, quomodo fiunt; & ventura ita, uti perficientur. Convictus igitur ex ŷs quæ eveniunt & prædicta fuerunt, non amplius*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*amplius hæſito, ſed credo obtemperans Deo.* Græca, ſi quis fortè deſideret, in hunc modum habent: Καὶ γὰρ ἐγὼ ἠπίστουν τοῦτο ἔσεσθαι, ἀλλὰ νῦν κατανοήσας αὐτὰ πιστεύω, ἅμα καὶ ἐπιτυχὼν ἱεραῖς γραφαῖς τῶν ἁγίων προφητῶν, οἳ καὶ προεῖπον διὰ πνεύματος θεοῦ τὰ προγεγονότα ᾧ τρόπῳ γέγονε, καὶ τὰ ἐνεστῶτα τίνι τρόπῳ γίνεται, καὶ τὰ ἐπερχόμενα ποίᾳ τάξει ἀπαρτισθήσεται. ἀπόδειξιν οὖν λαβὼν τῶν γινομένων καὶ προαναπεφωνημένων, οὐκ ἀπιστῶ, ἀλλὰ πιστεύω πειθαρχῶν θεῷ.

XXXIII. Gregorij Thaumaturgi converſionem tangentia nonnulla ſuperiùs è Gregorio Nyſſeno producta fuerunt. ὁ μέγας οὗτος, ait Nyſſenus, τῇ ἔξω φιλοσοφίᾳ δι' ἐπιμελείας καθομιλήσας, δι' ὧν ὁ ἑλληνισμὸς τοῖς πολλοῖς βεβαιοῦται, διὰ τούτων ὡδηγήθη πρὸς τὴν τοῦ Χριστιανισμοῦ κατανόησιν. *Magnus ille Gregorius in externæ philoſophiæ ſtudiis diligenter verſatus, per quæ plerique errores & ſuperſtitiones Græcorum fulciunt, illis ipſis inductus eſt ad Chriſtianæ religionis cognitionem, & relictâ erroneâ majorum ſuorum religione quærebat rerum veritatem,* ἐξ αὐτῶν τῶν πεπονημένων τοῖς ἔξωθεν διδαχθεὶς, τὸ τῶν ἑλληνικῶν δογμάτων ἀσύστατον, *ex ipſis illis, quæ ab externis philoſophis elaborata ſunt, edoctus, quòd Græcanica dogmata ſubſiſtere nequeant. Poſtquam enim animadvertit tum Græcorum tum barbarorum philoſophiam, quòd attinet doctrinam de numine in diverſas ſententias ſcindi — hos quidem reliquit, & amplexus eſt ſtabilem firmumque fidei ſermonem, — qui,* uti jam antè producta verba habent, ἐν αὐτῷ τῷ ὑπὲρ τὴν πίστιν εἶναι, τὸ πιστὸν ἔχει. Num.13.

XXXIV. Simile aliquid de quodam Commodiano memorat Gennadius Maſſilienſis libro de viris illuſtribus, cap. xv. *Commodianus dum inter ſeculares literas etiam noſtras legit, occaſionem accepit fidei. Factus itaque Chriſtianus & volens aliquid ſtudiorum ſuorum munus offerre Chriſto ſuæ*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*ſalutis auctori ; ſcripſit mediocri ſermone quaſi verſu librum adverſum Paganos.*

XXXV. Hilarius itidem ſub initium luculenti de Trinitate operis commemorat, quomodo conſideratâ veritate, quæ ex lumine naturæ cognoſci potuerit, & animadverſis gentium circa religionem & numinis cultum abſurditatibus, tandem ad Scripturas & Chriſti fidem deductus fuerit. *Quamquam*, ait, *non ineptam hanc eorum* (τῶν ἔξω) *eſſe ſententiam atque inutilem exiſtimarem, Conſcientiam ab omni culpâ liberam conſervare, & omnes humanæ vitæ moleſtias vel prævidere prudenter, vel vitare conſultè, vel ferre patienter : tamen hi ipſi non ſatis mihi idonei ad bene beateq́; vivendum auctores videbantur, communia tantùm & convenientia humano ſenſui doctrinarum præcepta ſtatuentes. —— Feſtinabat autem animus, non hæc tantummodo agere, quæ non egiſſe & criminum eſſet plenum, & dolorum : ſed hunc tanti muneris Deum parentemq́; cognoſcere, cui ſe totum ipſe deberet, cui famulans nobilitandum ſe exiſtimabat, ad quem omnem ſpei ſuæ opinionem referret. — Ad hunc igitur vel intelligendum, vel cognoſcendum, ſtudio flagrantiſſimo accendebatur. Namque plures eorum numeroſas incertorum deorum familias introducebant ; & virilem ac muliebrem ſexum in divinis naturis agere exiſtimantes, ortus ac ſucceſſiones ex diis deorum aſſerebant. — Dignumq́; jam non erat, auctores eos veritatis exiſtimare, qui ridicula, & fœda, & irreligioſa ſectantes, ipſis illis inaniſſimarum ſententiarum ſuarum opinionibus diſſiderent. —— Hæc igitur multaque alia ejusmodi mecum animo reputans, incidi in eos libros, quos à Moyſe atque à Prophetis ſcriptos eſſe Hebræorum religio tradebat : in quibus ipſo creatore Deo teſtante de ſe, hæc ita continebantur : Ego ſum qui ſum. Et rurſum: Hæc dices filiis Iſraël, Miſit me ad vos is qui eſt. Admiratus*

*ſum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſum planè tam abſolutam de Deo ſignificationem, quæ naturæ divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad intelligentiam humanam ſermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quàm ESSE intelligitur, quia id ipſum quod eſt, neque deſinentis eſt aliquando, neque cœpti. —— His igitur religioſiſſimis de Deo opinionibus veri ſtudio detentus animus delectabatur. —— Fatigabatur autem partim ſuo, partim corporis metu; qui quum & conſtantem ſententiam ſuam piâ de Deo profeſſione retineret, & ſollicitam de ſe, atque hoc occaſuro ſecum, ut putabat, habitaculo ſuo curam recepiſſet, poſt cognitionem Legis ac Prophetarum, doctrinæ quoque Evangelicæ atque Apoſtolicæ inſtituta cognoſcit.

XXXVI. Quomodo Victorinus, *rhetor urbis Romæ*, converſus fuerit, enarrantem *Simplicianum, patrem in accipienda divina gratia epiſcopi Ambroſij*, exprimit & ob oculos ponit Auguſtinus libro octavo Confeſſionum, capite ſecundo. Victorinus *ille doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus —— ſtatuam in Romano foro meruerat & acceperat, uſque ad illam ætatem venerator idolorum, ſacrorumq́ue ſacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata ſpirabat, —— quæ iſte ſenex Victorinus tot annos ore terricrepo defenſitaverat.* Exclamat Auguſtinus, *O Domine, Domine, qui inclinaſti cœlos & deſcendiſti, tetigiſti montes & fumigaverunt, quibus modis te inſinuaſti illi pectori! Legebat, ſicut ait Simplicianus, ſanctam Scripturam, omnesq́ue Chriſtianas literas inveſtigabat ſtudioſiſſimè & perſcrutabatur, & dicebat Simpliciano, non palàm ſed ſecretiùs & familiariùs: Noveris me jam eſſe Chriſtianum. Et reſpondebat ille: Non credam, nec deputabo te inter Chriſtianos, niſi in eccleſia Chriſti te videro. Ille autem irridebat eum dicens: Ergóne parietes faciunt Chriſtianos? Et hoc ſæpe dicebat, jam ſe*

*eſſe*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*eſſe Chriſtianum; & Simplicianus illud ſæpe reſpondebat, & ſæpe ab illo parietum irriſio repetebatur. Amicos enim ſuos verebatur offendere ſuperbos dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quaſi ex cedris Libani, quas nondum contriverat Dominus, graviter ruituras in ſe inimicitias arbitrabatur. Sed poſteaquam legendo & inhiando hauſit firmitatem; timuitq́ negari à Chriſto coram angelis ſanctis, ſi eum timeret coram hominibus confiteri, —— ſubitò & inopinatus ait Simpliciano, ut ipſe narrabat: Eamus in eccleſiam, Chriſtianus volo fieri. At ille non capiens ſe lætitiâ perrexit cum eo. Vbi autem imbutus eſt primis inſtructionum ſacramentis, non multò pòſt etiam nomen dedit, ut per baptiſmum regeneraretur, mirante Româ, gaudente Eccleſiâ.*

XXXVII. Hactenus exempla converſorum ex pa-
Hær. 30. ganiſmo: ſequuntur aliorum, qui ex Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum tranſierunt. Epiphanius refert, famam fuiſſe de Evangelio Iohannis Hebraicè translato, & Tiberiade in gazophylacijs Iudæorum inter ſecretiora recondito; *quod mihi,* inquit, *nonnulli, qui ſe ad Chriſti fidem è Iudaiſmo tranſtulerant, exactè indicarunt. Quin pariter percrebuit, Actus Apoſtolorum itidem è Græco in Hebræum converſos, in iisdem theſauris haberi,* ὡς καὶ ἀπὸ τούτου ἀναγνόντας Ἰουδαίους τοὺς ἡμῖν ὑφηγησαμένους εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι. *ſicut etiam inde Iudæi, qui legerunt, & nobis iſta recenſuerunt, ad Chriſti fidem adducti fuerant.* Subjungit prolixam narrationem de Ioſepho Iudæo, ex hujus ipſius ore jam tum ſeptuagenario majoris, exceptam; mirè obſtinato, etiamſi multis modis & miraculis & ipſius Chriſti apparitionibus ad fidem invitaretur: tandem tamen in Ciliciâ, quum *contractâ cum quodam epiſcopo familiaritate, librum evangeliorum ab eo clam poſtulaſſet & legiſſet,* converſo & baptizato,

to, & per Conſtantinum Imperatorem Comite creato. Qui ſingula accuratiùs voluerit cognoſcere, auctorem adeat.

XXXIIX. Superiore ſeculo in academiâ Vinnenſi Hebrææ linguæ profeſſor fuit Paulus VVeidnerus, Medicinæ Doctor, ex Iudaiſmo ad fidem Chriſti converſus. Scripſit, & Ferdinando Imperatori inſcripſit librum, quo adverſus populares ſuos diſputat, & loca Veteris teſtamenti ad Chriſtianam fidem facientia explicat. Præfatione ad lectorem converſionis ſuæ occaſionem, modum & hiſtoriam exponit. Quoniam liber in paucorum eſt manibus, adjiciemus. *Ab Vtino*, inquit, *quæ civitas eſt Italiæ, vocatus fui in ducatum Carinthiæ, ibiq; ordinarius eram medicus, & honeſta ſtipendia habebam, ab ejus loci provincialibus Dominis, annos circiter ſex. Tandem ex benignâ Dei revelatione, & tractu Patris cœleſtis, mihi inter cæteras curas animi in mentem venit, ut mecum ipſe cogitarem, apud animumq; meum revolverem & perpenderem, quænam eſſet vera religio in mundo, & quis cultus Deo placens: cœpiq; diligentiùs legere Sacram ſcripturam, & huc illuc circumſpiciens, in novum Teſtamentum conjeci oculos, illudq; contuli cum veteri, ac ſimul adhibui Chaldæorum, Thalmudiſtarum & Cabaliſtarum expoſitiones, & ita demum Dei beneficio quotidiè fere magis oculi mei aperiebantur, ut cernerem haud obſcurè veram religionem Chriſtianam, & quàm indignè, & impiè ac pertinaciter Iudæi contradicant Chriſto, qui veriſsimus eſt Meßias, de quo vaticinati ſunt Patriarchæ & Prophetæ, & qui in Lege repromiſſus eſt populo Iſraëlitico & cæteris gentibus, per figuras, ænigmata, & arcanas revelationes adumbratus. Neque tamen adhuc mihi ipſi planè ſatisfeci, quamvis nihil dubitarem de fide Chriſtiana veriſsimâ & certiſsimâ. Ne quid tamen incogitantiùs*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*aut præcipitanter agerem aut imprudentiùs aggrederer, manſi per annum totum conſiderabundus, ac rem meliùs expendebam, donec ſubinde magis magisq́ in meâ ſententiâ confirmarer, & nullatenus fluctuarem dubitationibus. —— Tales enim, quibus ſalus cordi eſt, rem ſeriò agunt, & rectè, juſtéque moventur ad credendum: ducuntur enim auctoritate divinæ ſcripturæ, doctrinâ miraculis confirmatâ, & aguntur inſtinctu Dei illuminantis. Simul etiam variis exercentur tentationibus, ut fides ſiat certior & firmior. —— Hac ratione dico me manſiſſe in annuâ deliberatione, verſaſſeq́ libros utriuſque inſtrumenti nocturnâ manu atque diurnâ, ſummo ſilentio & ſpe, ut inquit Apoſtolus. Porrò ſimul atque res celari ampliùs non potuit, protinus à meis ſecundum carnem, non mediocria, propter fidei Chriſtianæ ſuſpicionem, exſpectare pericula cogebar, quæ, proh dolor! in hunc uſque diem mihi intentari video & experior.* Indignum eſt, inter Chriſtianos improbitati Iudæorum tantum permitti, ut populares ſuos ad Chriſti fidem tranſeuntes affligant & injuriâ afficiant. E re foret, ejuſmodi nequitiam ſeriò caſtigari & compeſci. Sed pergat Paulus, qui itidem ipſe olim Saulus fuerat. *Cæterùm putabam jacturam potiùs rerum omnium & vitæ faciendam eſſe, quàm de ſalute animæ volentem ſcientemq́ periclitari. Quare ſpretis omnibus periculis, & neglectis fratribus & ſororibus, imò & parentibus atque omnibus propinquis & amicis, & poſthabitis patria & bonis patris, cum uxore & liberis quatuor Viennam Pannoniæ me contuli, ibiq́ Chriſtianam religionem non intra parietes, non paucis adhibitis teſtibus, ſed publicè & palàm profeſſus ſum, tinctus ſacro baptiſmate unà cum uxore & quatuor liberis, in æde baſilicâ Divo Stephano ſacrâ, die Dominicâ undecima poſt feſtum Trinitatis, quæ fuit XXI dies menſis Auguſti, anno M D LIIX.* Tandem Iudæos, populares & cognatos

tos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tos ſuos, compellat verbis dignis notari. *Quilibet veſtrûm à viâ ſuâ malâ recedat, & Deum oret, ut ſuum illuminet intellectum, ita quòd veritatis viam agnoſcere, & agnitam cuſtodire, hypocryſin, perfidiam, avaritiam atque ſuperbiam fugere, & veras virtutes amplecti & exercere, quæ veræ fidei certiſſima documenta & teſtimonia ſunt, per omnem vitam poßitis. Quod ipſum non aliâ ratione meliùs fiet, quàm ſi lectioni Prophetarum, etiam Evangeliorum, quæ Prophetis lucem inferunt, diligentem excußionem adjunxeritis. Nam vobis affrmo, quàm cara mihi eſt propria ſalus, teſte Deo, quòd ſi Evangelica verba non tantùm primis labiis deguſtaveritis, ſed ſtudio agnoſcendæ veritatis, & in ima pectoris tranſmiſeritis, fore ut in lumine ipſorum lumen videatis. In his enim verificationis Prophetiarum de Meßia loquentium certitudo invenitur; & ex Chriſti verbis & vitâ manifeſtè cognoſcitur, quòd ipſe verus ſit Meßias, qui ex immensâ dilectione, quâ complexus eſt Deus genus humanum, carnem induit, divinitatem indiſſolubili nexu cum humanâ naturâ mirabiliter copulans.*

XXXIX. Circa eadem tempora contigerunt, quæ de Iohanne Iſaac, itidem Hebrææ linguæ profeſſore in academiâ Colonienſi, & Iudæis nonnullis Africanis commemorat Andradius Defenſionis concilij Tridentini libro quarto. *Johanes Iſaac*, inquit, *vir noſtra ætate inter Hebræos doctißimus, ingenuè fatetur, Prophetarum ſe, ac* Poſt initium. *maximè Eſaiæ, quem non niſi Hebraicè legere poterat, continuâ meditatione fuiſſe pertractum, ut Iudaicâ perfidiâ deſertâ Chriſto Ieſu, à quo mirum in modum antea abhorruerat, nomen lubentißimè daret. Aliquos etiam hîc* in Luſitaniâ *agnoſco ipſe, non vulgaris antea inter Hebræos, qui interiorem Africam incolunt, eruditionis, qui ſola capitis Eſaiæ quinquageſimi tertij lectione inducti fuerunt, ut domo, patriâ, parentibus, ampliſſimiſq;*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*misq́; fortunis relictis, Chriſto ſe Jeſu inſtammatis ſtudijs conſecrarint.*

XL. Chriſtianus Gerſon, cujus exſtat ſcriptum Germanicum, quo fabulæ & abſurda Talmudis recenſentur & refelluntur, nobis in hac academiâ ante annos XL familiariter notus fuit. Chriſto nomen dedit exeunte ſuperiore ſeculo, & ſacro lavacro tinctus eſt Halberſtadij, anno CIↃ IↃ C, die XIX Octobris. Occaſionem & modum converſionis ſuæ exponit ipſe præfatione ad Sereniſſimum & ſapientiſſimum principem Henricum Iulium, glorioſæ memoriæ. Nos inde excerpta breviter latinis verbis proponemus. *Me*, ait, *in vineam Chriſtianæ eccleſiæ Deus anno ætatis meæ trigeſimo primo vocavit per ſuum verbum, non quidem prædicatum vel auditum, quòd templa propter præſentes in ijs imagines intrare non auderem: ſed paupercula quædam Chriſtiana fæmina, vicina mea tradebat pignori codicem Novi teſtamenti Germanici, à Luthero converſi: cui ego mutuos dabam octo ſolidos, ut uſuram meo more lucrarer, & librum interim evolverem, non quidem quòd de veritate Judaicæ religionis dubitarem, aut ullum Chriſtianæ fidei articulum rectum crederem, ſed ut cognoſcerem, quisnam ille tantopere efficax error, qui tot animarum myriades ſeduceret & in exitium præcipites daret. Præſentibus igitur duobus meis affinibus Lazaro & Simeone totum perlegi, non ſine blaſphemijs. Interim verò cor meum percellebatur, & quum animadvertiſſem Evangeliſtas & Apoſtolos & Chriſtum ipſum toties ad Vetus teſtamentum provocare, & ſubinde loca ex eo alia poſt alia adducere, illectus fui ut denuò legerem, clanculum quidem, nemine conſcio, ne quidem uxore meâ, & ut loca adducta cum ipſo Veteris teſtamenti textu contenderem. Quod ubi feci, tanta lux mihi illuxit, ut eo nomine æternas Deo debeam gratias.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*gratias. Quum autem cogitationes meas nemini, & ne conjugi quidem, detegere auderem, & præterea cura uxoris, liberorum reiq́ familiaris & varietas ſectarum, quæ inter Chriſtianos deprehenditur, animum meum turbarent & diſtraherent, per integras XIV ſeptimanas adeo angebar, ut nec eſca nec potus ſaperent, nec quietum ſomnum caperem, donec pro ſua benignitate & clementiâ Deus animo meo indidit, ut relictâ patriâ & cognatione mea in ditionem Brunſuicenſem me conferrem, ibiq́ ſacrum baptiſmum peterem.* Hæc ille, vir Hebrææ linguæ peritiſſimus & in ſcriptis Rabbinicis & Talmudicis verſatiſſimus: qui deinceps etiam effecit, ut ſuus frater & filius Iudaiſmo erepti ad Chriſtum traducerentur. Et hæc quidem exempla ſunto converſionis Iudæorum.

XLI. Colophonis loco adjicio, quæ de converſione Iapanenſium ad Michaëlem Turrianum Ieſuitam ſcribit ex eadem ſocietate Iohannes Baptiſta Montius, Bungo, v Id. Octob. anno CIↃ IↃ LXIV. *Quod ad converſionem*, inquit, *harum gentium attinet, evangelium longè lateq́ jam pervagatum eſt, & ſanè probatur in vulgus, & ferè ſemper ad baptiſmum Dei beneficio aliqui perducuntur. Ratio autem noſtra cum illis agendi eſt ejuſmodi. Quæritur primùm quam ſectam ſequantur. Deinde non modò quam ipſi profitentur, ſed etiam reliquæ omnes Iapanicæ ſectæ multis rationibus ita confutantur, ut earum ope ac præſidio æternâ ſalute ſe nequaquam potiri intelligant. Id ubi perceperunt, docentur eſſe unum rerum omnium opificem, qui ex nihilo cuncta creaverit, eaque omnia fungi officio præter Angelos deſertores, & hominem, qui è primo illo ſtatu ſuâ culpâ exciderit, in quo ab Deo parente poſitus fuerat; idemq́ naturæ legibus, rectæq́ rationi adverſetur. Diſcunt deinceps Deum eſſe trinum & unum, cujus imperium homo neglexerit. Et quoniam infinitæ majeſtati*

Lib. 4 epiſtol. Iapanicarum.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*ac numini facta injuria infinitam quoque ſatisfactionem exigeret, ſecundam Trinitatis perſonam, quum genus humanum, aliave omnino creata natura ſolvendo non eſſet, humanitatem noſtram ultro adſumſiſſe & induiſſe, ut idem homo ſimul & Deus innocentiſſimus pœnam noſtris ſceleribus debitam pretioſo ſanguine ſuo acerbaq; morte perſolveret, & nos in omnipotentis Dei gratiam reſtitueret. Hæc illis omnia clarè & copioſè explicantur. Tum ad eorum quæſtiones probè reſpondetur, & omnis ex eorum animis, quoad ejus fieri poteſt, dubitatio tollitur, atque ut illis certæ precandi formulæ & præcepta decalogi tradita ſunt, promittunt ſe barbaros ritus ſuperſtitionesq; depoſituros. Deniq; ſacri baptiſmi vis, atque myſteria iiſdem explicantur: atque ita Chriſto dant nomina ac baptizantur.*

XLII. Commemorata hactenus exempla evidenter oculis noſtris ingerunt ſummam Scripturæ auctoritatem ſive vim animos percellendi, & ad adſenſum præbendum commovendi, quam ab adjunctâ gratiâ divinâ & virtute S. Spiritus auctoris ſui ſortitur. Et ex hac priùs poſitâ & creditâ fidelibus innoteſcunt promiſſiones divinæ, per quas fit, ut univerſam eccleſiam in fundamentis ad ſalutem neceſſarijs errare, id eſt penitus interire & exſtingui non poſſe, conſtet. Quantum externæ dignitatis & eminentiæ hodie in Eccleſiam competit, tantum olim non competebat; atque ita hodie etiam ſe habet, ut pleriſque non ſit ſatis exploratum. Quibus autem innotuit, apud eos vicem inducentis tueri poteſt, non evincentis. Hinc igitur eſt, quòd ſuperiora converſionum exempla nuſquam auctoritatem eccleſiæ, per quam convertendi ad adſenſum Evangelio præbendum commoti fuerint, inducunt. Eſto itaque, quòd aliquibus fuerit occaſio credendi, & cauſſa per

quam

quam primitus allecti, & ſine quâ non credidiſſent, ut ſancto Auguſtino: eſto, inquam, intuitu nonnullorum id adſeri rectè poſſe; quod omnes attinet, certè non poteſt, quemadmodum adducta exempla demonſtrant. Minimè igitur eſt cauſſa per ſe adſenſus Evangelio à Chriſtianis præbiti. nam ſi eſſet, numquam ab ullo præbito adſenſu abeſſet. *Multi*, ait Serarius, *Biblia eſſe divina credunt, etiamſi neſciant Eccleſiæ de ipſis teſtificantis teſtimonium, ut gentilium aliqui, dum fidem amplectuntur, & Chriſtianorum non pauci, vel indocti, vel docti quidem, ſed circa hæc nihil ratiocinantes.* At *quando actus aliquis agi poteſt abſque re aliqua, non eſt hæc ad illum neceſſaria.* Cauſſa autem per ſe eſt divina gratia & virtus Sancti ſpiritus, cum Evangelio conjuncta, & per illud, tamquam per adæquatum & ordinarium medium, operans. Hinc f dem infuſam appellarunt Scholaſtici. Et vi veritatis adactus rectè admittit & docet Thomas Stapletonus, *impoſſibile eſſe ſine ſpeciali gratiâ ac dono fidei divinitus infuſo actum veræ fidei producere, aut ex veri nominis fide credere*: item *donum fidei infuſum tam certam & efficacem eſſe fidei cauſſam, ut per id ſolum veram fidem conſequi liceat, abſque voce, teſtimonio, doctrinâ & magiſterio Eccleſiæ.* Et improbat ſententiam Bielis, docentis fidem infuſam non poſſe haberi ſine præviâ aut comitante acquiſitâ. Quò etiam videtur Scotus inclinare. Quin uterque πολυθρυλλήτῳ illo ſancti Auguſtini dicto abutitur. Quod etiam facit Iacobus Almainus, & inde colligit, aut colligere annititur, *Ergo tota ratio, quare tenemur credere Evangelio, epiſtolis Apoſtolorum & Prophetarum, eſt, quia præſentantur ab Eccleſiâ. ergo à fortiori tenemur magis credere veritati Eccleſiæ, quàm Evangelio.*

Proleg Bibliac. c.7. qu.7.

Princip. doct. lib.8, cap.2. Cap.3.

3. diſt. 23.

3. diſt. 24.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

XLIII. Multi ex ijs, qui neceſſariæ, ſuperiore ſeculo cœptæ, reformationi ſeſe oppoſuerunt, ut Eccleſiæ, & quidem non primæ & priſcæ, ſed recenti & præſenti; non univerſali, ſed particulari ſive Latinæ ſive Romanæ, ejúſve Pontifici ſupereminentem, immenſam & illimitatam auctoritatem & poteſtatem vindicarent, nihilo ſaniora protulerunt. *Revera*, ait Cardinalis Hoſius, *niſi nos Eccleſiæ doceret auctoritas hanc Scripturam eſſe canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.* Imò, ut loquitur Sixtus Senenſis Bibliothecæ ſuæ libro octavo, hæreſi XII, *nec quidquam librorum*, qui in canone ponuntur, *fidei derogatur, etiamſi ab auctore profano ſcripti ſint, quum libri fides non ab auctore, ſed ab eccleſiæ catholicæ auctoritate pendeat; & quod illa acceperit, verum & indubitatum eſſe oportet, à quocumque dictum ſit auctore.* Similiter adſerit Thomas Stapletonus Principiorum doctrinalium libro nono, quòd ſit *penes eccleſiam hujus temporis, librum aliquem in canonem nondum receptum, Apoſtolorum tamen tempore ſcriptum (exempli cauſſâ librum Hermæ, Paſtoris nomine inſcriptum, vel conſtitutiones Apoſtolicas à Clemente editas) in numerum librorum ſacrorum, & certò Canonicorum referre poſſe. Quod ut non temerè*, inquit, *unquam faciet Eccleſia; ſic ſi faceret, auctoritatem divinam apud nos illi libri haberent, non ſecus quàm alij, ſive ſub ipſis Apoſtolis, ſive poſt illorum tempora in Canonem relati.* Iacobus Gretſerus Defenſionis Bellarmini tomo I, lib. III, cap. IX: *Adeo ab Eccleſiâ fides infuſa & eſt & pendet, ut remota Eccleſiæ auctoritate nullo modo ſubſiſtere valeat.* Sub initium ejus operis, nempe libro primo, capite primo, *Id*, inquit, *ſolum pro verbo Dei veneramur ac ſuſcipimus, quod nobis Pontifex ex cathedrâ Petri, tamquam ſupremus Chriſtianorum magiſter, omniumque*

*con-*

E. 3 adverſ. prolegom. Brentij.

In fine.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*controverſiarum judex definiendo proponit.* Ita ad unum Pontificem tandem itur, & revocantur omnia. Silveſter Prierias, qui primus calamum contra Lutherum ſtrinxit, ſub initium Dialogi, quem ei oppoſuit: *Quicumque non innititur doctrinæ Romanæ eccleſiæ, ac Romani pontificis, tamquam regulæ fidei infallibili, à quâ etiam Sacra ſcriptura robur trahit & auctoritatem, hæreticus eſt.* Et progreſſus ultra medium, *Indulgentiæ*, ait, *auctoritate Scripturæ nobis non innotuerunt, ſed auctoritate eccleſiæ Romanæ, Romanorumq́ pontificum, quæ major eſt.* Ab eorum videlicet *arbitrio pendet*, ut loquitur Baronius, *quid velint eſſe in univerſâ eccleſiâ ſacroſanctum.* Et hoc eſt, quod fundamenta immanis & antichriſtiani dominatus jaciens Hildebrandus ſive Gregorius VII ante quinque ſecula primus dictavit, *nullum capitulum nullumq́ librum canonicum haberi abſque Romani pontificis auctoritate.*

Fundam. 3.

An. 553. num. 224.

XLIV. Ne quid tamen diſſimulemus, Gretſerus, quem paullò antè admodum dura loquentem audivimus, alibi ad ſaniorem ſententiam propiùs accedere videtur. Nempe Appendice ſecundâ ad librum tertium Bellarmini, Pontificij, inquit, *principaliter Scripturis fidem habent, easq́ ut divinas venerantur ac ſuſpiciunt, propter divinam revelationem: at ob Eccleſiæ auctoritatem non aliter, quàm ut ob conditionem ſine quâ non; ut in ſcholis appellamus. Niſi enim hæc teſtificatio accederet, ipſa divina revelatio de libris canonicis, atque adeo ipſa etiam majeſtas & auctoritas, quâ Canonici libri in ſe ſunt præditi, nunquam nobis innoteſceret.* Hæc poſtrema, uti ad hunc modum ſimpliciter proferuntur, falſa eſſe ex ijs, quæ ſuperiùs dicta & producta ſunt, conſtat. Interim Eccleſiæ auctoritatem apud nonnullos, qui eam penetrare potuerint; operam verò aliquam



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

quam apud pleroſque *conditionem ſine quâ non* fuiſſe vel eſſe, ultrò conceditur. Ex operâ autem adhibitâ adhibentium hominum magnam vel ad commovendum idoneam auctoritatem fuiſſe, rectè non colligitur. Alius magni nominis Ieſuita, Martinus videlicet Becanus, in hunc modum loquitur Tractatu de Fide, cap. 1, quæſt. 11: *Tripliciter credi poteſt Deum aliquid revelaſſe. Primò propter ſe; & tunc eſt aſſenſus fidei Theologicæ. Secundò propter auctoritatem Eccleſiæ dicentis; & tunc non eſt aſſenſus fidei Theologicæ, ſed alterius inferioris ordinis. Tertiò, propter auctoritatem hominis; & tunc eſt aſſenſus fidei humanæ. Primus aſſenſus ſic explicatur: Credo Deum hoc revelaſſe, non propter aliud, ſed immediatè propter ſe. Secundus ſic: Credo Deum hoc revelaſſe, quia Eccleſia dicit. Tertius ſic: Credo Deum hoc revelaſſe, quia homo dicit. Itaque primus aſſenſus non reſolvitur ulterius, ſed ſiſtit in ipsâ revelatione divinâ, quæ creditur propter ſeipſam. Secundus reſolvitur in auctoritatem Eccleſiæ. Tertius in auctoritatem hominis.* Quod ſecundo adſenſui à cæteris diſtincto peculiare genus tribuit, non poteſt probari. Aut enim nititur teſtimonio Eccleſiæ, de quâ ex Scripturis conſtet, eam fundamenta ſalutis non ignorare vel depravare, id eſt, univerſalis eccleſiæ; & ſic in ſolos, qui fideles jam ſunt, competit, & eſt adſenſus fidei Theologicæ: aut Eccleſiæ, prout ea hodie præ cæteris mortalium congregationibus vel ſuperſtitionum ſectis antiquitate, amplitudine, eruditione & virtute eminet; & ſic in paucos cadit, neque tranſcendit adſenſum fidei humanæ. Priore itaque modo cum primo, poſteriore cum tertio coincidit: nec peculiare genus conſtituit.

XLV. Notandum autem, etiamſi adſenſus fidei



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Chriſtianæ, qui Scripturis præbetur, ſive donum fidei infuſæ haberi queat abſque cognitâ auctoritate, imò abſque adhibito aliquo ſive magiſterio, ſive miniſterio Eccleſiæ; haberi tamen non poſſe abſque ipſo verbo divinitus revelato, undecumque tandem in notitiam deducatur. Hic operæ eſt obſervari, verbum Dei juxta triplicem differentiam conſiderari, ſive etiam triplici modo proponi poſſe: uno, ut ſit verbum Dei ſaltem ſecundum rem & ſententiam; altero, ſecundum rem & voces; tertio, ſecundum rem, voces & idioma. Primo modo fuerit verbum Dei, ſi dixero; Corpora noſtra eadem numero per omnipotentiam divinam ſupremo ſeculi die reſuſcitabuntur, & animabus noſtris denuò unientur, ut ſimus ijdem homines, qui pridem eramus. Hoc eſt doctrina divina & Dei verbum, ſaltem quod rem & ſententiam attinet. Totidem enim verbis nullibi Scriptura utitur, ſed rem ipſam ſatis dilucidè proponit. Eodem modo verbum Dei eſt, quod Symbolo Apoſtolico continetur. Neque enim illud eâ ſerie & contextu verborum ullibi in Scripturâ exſtat, & ne quidem omnia Symboli verba, Scripturæ ſunt verba. Dicitur Apoſtolicum, quòd ſummam contineat doctrinæ Apoſtolicæ. Ab ipſis enim Apoſtolis αὐτολεξεὶ confectum fuiſſe nec probari poteſt, nec veroſimile eſt. Nam ſi ab ipſis Apoſtolis totidem verbis confectum eſſet, cauſſa reddi non poſſet, quare tamquam pars Scripturæ non habenda. Dicit quidem Hieronymus *ſymbolum fidei & ſpei noſtræ ab* Epiſt. 61.
*Apoſtolis traditum non ſcribi in chartâ & atramento, ſed in* cap. 9.
*tabulis cordis carnalibus*; quòd ſcilicet Chriſtiani omnes id memoriter tenerent, atque illi etiam, qui literas neſcirent, nihilominus recitarent: non verò quòd ſcribi prorſus

ſus aut non ſoleret aut non deberet. Quin non ita verbis diſcreparent ſymbola antiquarum eccleſiarum Romanæ, Aquileienſis, Orientalis, ut apud Rufinum, & Ieroſolymitanæ, ut apud Cyrillum videre eſt, ſi ſymbolum aliquod ipſi Apoſtoli conceptis verbis edidiſſent. Rem verò unam & eamdem in alio libro canonico diffuſiùs, in alio contractiùs memorari, ad præſens negocium nihil facit, quum diverſi illi ſint libri, verbi gratiâ, alius eſt liber evangelicus Matthæi, alius Marci: hìc autem unum & idem Apoſtolicum ſymbolum. Pari ratione verbum Dei quoad rem dici meretur, quidquid habetur in ſymbolis & confeſſionibus primarum quatuor œcumenicarum ſynodorum: quidquid etiam rectè traditur & exponitur ſive à priſcis ſive à recentioribus eccleſiaſticis ſcriptoribus & doctoribus. Secundo modo quoad rem & voces verbum Dei eſt, quod ex origine ſive Hebræâ Veteris ſive Græcâ Novi fœderis in alias linguas probè eſt translatum. Ad eum itaque modum comparatæ ſunt verſiones Scripturarum. Tertio modo ſe habent, atque adeo in ſummo gradu Verbum Dei ſunt libri, quales immediatè & proximè ab ipſis ſanctis auctoribus Moſe, Prophetis & Apoſtolis profecti & conſcripti ſunt, nempe Hebraici Veteris & Græci Novi fœderis.

XLVI. Iam dico, quocumque horum trium modorum verbum Dei proponatur, omnino verbum Dei eſt, & additam ſive innexam habet divinam gratiam & vim ſubeundi & percellendi animos, & ad præbendum indubitatâ fide adſenſum commovendi. Abſque hac enim ſi eſſet, ſive hanc ſi verbo ſuo Deus non adjungeret, fruſtra ipſum faceret proponi & prædicari, quum non

ſervet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſervet hominem, niſi certâ & immotâ fide creditum: tali verò credi non poſſit, niſi per virtutem adjunctæ divinæ gratiæ, ut ſæpiùs jam fuit dictum; quòd videlicet argumenta, quæ infallibiliter perſuadeant & evidenter evincant, nulla dentur. Sed, ut jam dixi, Dei verbum quando proponitur, eſt Dei verbum, ſive primo, ſive ſecundo, ſive tertio modo proponatur; & juncta eſt ubique gratia & ἐνέργεια Spiritus ſancti, per quam qui audiunt, niſi negligentiam vel contumaciam objiciant, ad præbendum adſenſum inducantur. Et quum fides ſecundum ſe non ſit diſcurſiva, ſed ſimpliciter apprehenſiva, fieri bene poteſt, ut evangelium primo modo propoſitum homini, præſertim rudiori, ſatisfaciat. Hinc Num. 33.
igitur eſt, quòd nonnulla ſuperiùs producta exempla & 40.
non præcisè & directè Scripturam memorant, ſed Chriſtianam doctrinam. Hæc enim ipſa ſi ſincerè proponatur, quocumque aliàs modo, ſive diſertè ſive indiſertè proponatur, Dei verbum eſt, & divinâ virtute pollet. Hinc etiam, quòd atteſtante Irenæo *multæ gentes barbarorum in Chriſtum crediderunt, ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, per Chriſtum Jeſum Dei filium. Qui propter eminentiſſimam erga figmentum ſuum dilectionem, eam quæ eſſet ex Virgine, generationem ſuſtinuit, ipſe per ſe hominem adunans Deo, & paſſus ſub Pontio Pilato, & reſurgens, & in claritate receptus in gloriâ, venturus ſalvator eorum qui ſalvantur, & judex eorum qui judicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemtores Patris ſui & adventus ejus. Hanc fidem qui ſine literis* ( non tamen ſine doctrinâ è ſacris lite-

ris deprom̃tâ) *crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum, barbari ſunt: quantum autem ad ſententiam, & conſuetudinem, & converſationem, propter fidem, per quam ſapientiſsimi ſunt, & placent Deo, converſantes in omni juſtitiâ & caſtitate & ſapientiâ.* Hæc de barbaris Chriſtianis Irenæus libro tertio, cap, IV. Quales ſanè, quum eis prædicare Apoſtoli inciperent, Scripturam Veteris teſtamenti ignorabant: Novi autem ne quidem tum prodierat. Doctrinâ tamen ſive ſermone, qui prædicabatur, convertebantur, & ad agnoſcendam deſertis fallacijs veritatem adducebantur. De ijs igitur idem Irenæus libro IV, cap. XLI: *Eſſe unum Deum, qui eſt ſuper omnes & omne nomen quod nominatur; & hujus Verbum naturaliter quidem inviſibile, viſibilem, palpabilem in hominibus factum, & uſque ad mortem deſcendiſſe, mortem autem crucis; & eos, qui in eum credunt, incorruptibiles & impaſsibiles futuros, & percipere regnum cœlorum: hæc prædicabantur gentibus ſine Scripturis.* Et mox addit *gentes ſermonem Dei aſſequutas fuiſſe ſine inſtructione Scripturarum.* De alijs nonnullis Auguſtinus libro primo de doctrinâ Chriſtianâ, cap. XXXIX, *Homo*, inquit, *fide, ſpe & caritate ſubnixus, eaque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria in ſolitudine ſine codicibus vivunt.*

Num, 16. XLVII. Quamvis enim, ut pridem dictum fuit, fides ſecundum ſe in ſimplice apprehenſione ſit poſita, & non in diſcurſu, ad eum fere modum, uti principia per ſe nota ex apprehenſis terminis præeunte naturali lumine ſive intelligendi facultate vera eſſe cognoſcuntur; nihilominus ſicut aliquando de hiſce principijs, ita quoque de dogmatibus & articulis Chriſtianæ fidei inſtituitur diſcurſus, imò inſtitui plerumque oportet. Poteſt fieri,

fieri, ut ſummam Chriſtianæ religionis breviter & ſimpliciter propoſitam nonnulli amplectantur, & ſine ambagibus ac curioſo ſcrutinio adſenſum præbeant: ſed ſi aliter fuerint animati, ſi fortè ingenijs aut tardioribus aut acrioribus, ſi oboriantur ſcrupuli, ſi ingruat deſiderium cognoſcendorum principiorum ſive fundamentorum, quibus tota res innitatur; tum omnino diſcurſum inſtitui, & ad Scripturam eos deduci oportet. In eâ videlicet omnia Chriſtianæ fidei dogmata continentur; & ex eâ deduci & demonſtrari poſſunt ac debent. Etiamſi autem legatur, ſicut in aliam linguam per interpretem converſa fuit, eſt nihilominus Dei verbum: non tamen ita propè à Deo profectum vel ortum, quemadmodum ſe habet, quando linguâ primævâ, quâ ſcriptores ipſi θεόπνευστοι uſi ſunt, legitur. Pluſculum etiam hic acceſſit humanæ operæ, & quidem talis, quæ non fuerit gubernata per peculiarem Spiritus ſancti adſiſtentiam, quâ ab omni errore immunis præſtaretur. Si itaque, cum quo agitur, non adquieſcat, adſcendendum erit ad Scripturam, uti à primis ſuis ſcriptoribus idiomate, quo ipſi uſi fuerunt, conſignata eſt. Atque hoc eſt verbum Dei, quod quidem hodie exſtet, in ſummo gradu, ſive puritate maximâ; quo, quod proximiorem à Deo trahat originem, nullum in toto terrarum orbe reperitur. Et etiam ſi acceſſerit aliqua hominum opera, totam tamen divinitus gubernatam, & ab omni errandi periculo defenſam fuiſſe agnoſcunt & fatentur Pontificij. Adſcribam modò in hanc rem verba Franciſci Suarez è Tractatu de Fide, diſp. V, ſectione III; ſatis, ut apparet, conſideratè loquuti. *Adverto*, inquit, *duobus modis poſſe intelligi ſingula verba Scripturæ eſſe ab Spiritu ſancto, ſcilicet* Paragr. 5.

*per*

*per ſpecialem motionem antecedentem, vel tantùm per aſſiſtentiam, & quaſi cuſtodiam.* *Prior modus erit, quando Spiritus ſanctus vel imprimit conceptum verbi per ſpecies infuſas; vel peculiariter movet, & excitat ſpecies præexiſtentes. Et hic modus eſt maximè proprius & perfectus: & veriſimilius eſt obſervari ab Spiritu ſancto, quoties myſteria, quæ ſcribuntur, ſupernaturalia ſunt, & captum humanum excedunt. Non videtur autem neceſſarium, etſi eruditi quidam recentiores id contendant, ut ſemper dictentur verba hoc peculiari modo: quando enim auctor canonicus ſcribit aliquid, quod ſecundum ſe humanum eſt, & ſubjacet ſenſibus, ſatis videtur, quòd Spiritus illi ſpecialiter aſſiſtat, & cuſtodiat illum ab omni errore, & falſitate, & ab omnibus verbis, quæ non expediunt, vel decent talem ſcripturam; avertendo ſcilicet ſpeciali providentiâ omnia objecta, quæ conceptus talium verborum excitare poſſunt; & in reliquis permittendo, ut ſcriptor ſuâ memoria, & ſuis ſpeciebus, ac ſuâ diligentiâ utatur in ſcribendo.* Poſterius deinceps repetit,
Parag. 15. nempe *licet in Scripturâ omnia ſint ſcripta Spiritu divino, nihilominus eundem Spiritum relinquere ſcriptorem, ut modo ſibi accommodato, & ſecundum ſuum ingenium, eruditionem, & linguam ſingula ſcribat, & ita etiam permittit, ut aliqua familiari & humano modo ſcribat, quamvis ſub directione ſuâ.* Et hinc etiam ſine dubio diverſitas dictionis, quâ inter ſe ſacri libri differunt. Directio autem illa omnibus & ſingulis infallibilitatem impertit.

XLIIX. In diſcurſu itaq; circa res credendas & ſub lumine fidei ad alios ſive informandos ſive convincendos inſtituto primum principium complexum, ad quod reſolvendo tandem devenitur, & ultra quod inter ea, quæ creduntur, progredi non datur, hoc ipſum eſt, Quidquid ſacra canonica Scriptura dicit, divini-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tus eſt ſcriptum, & indubitatò ſive infallibiliter verum. Vt autem hoc axioma exquiſitè ſibi conſtet, *ſacram canonicam ſcripturam* intelligi oportet eam, quæ à canonicis ſcriptoribus idiomate ab ipſis uſurpato confecta & edita fuit. Vltra hanc in ſerie revelatorum, reſpectu cognitionis noſtræ aliquem ſanè inter ſe ordinem, nexum & dependentiam habentium, progredi non licet. Hîc opera humana aliter non acceſſit, quàm ſuperiùs fuit expoſitum, & Pontificios agnoſcere demonſtratum eſt. Operæ humanæ interpretum deeſt non modò revelatio (quâ hîc novâ vel iteratâ opus non eſt, quum ante oculos in fontibus præſtò ſit priſca & prima) ſed etiam peculiaris divina directio, per quam omne errandi periculum amovetur. Quamque igitur verſionem cum fonte contendere, & ad eum examinare fas eſt; inprimis ſi urgeat, cum quo fuerit negocium. Interim quod verſione exprimitur, præſertim ſi à fonte quoad ſententiam non diſcrepet, nihilominus Dei verbum eſt; imò etiamſi quod Scriptura proponit, verbis prorſus alijs, ſenſu tamen illibato & integro exponatur: idque etiam ipſum virtute divinâ divino verbo propriâ ad animos commovendos & ad adſenſum pertrahendos pollet.

XLIX. Hoc itaque, quod diximus, axiomate vel principio poſito demonſtrari & ex eo evidenter (etiamſi ipſum in ſe non ſit evidens) deduci poſſunt omnia credenda, & omnia agenda ſive quod ſacramenta attinet, ſive quod vitam & mores. Rectè Paulus Burgenſis Additione ad Prologos Lirani: *Quæ in ſacra Theologia veraciter traduntur, omnia reducuntur ad ſenſum literalem ipſius Sacræ ſcripturæ.* Lubet adjicere verba Petri ab Alliaco, Cardinalis Cameracenſis ex quæſtione primâ ad Primum



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſententiarum, art. III. *Dico,* inquit, *quòd diſcurſus propriè theologicus eſt, qui conſtat ex dictis ſeu propoſitionibus in Sacrâ ſcripturâ contentis, vel ex his quæ deducuntur ex eis, vel ex alterâ hujusmodi.— Item tunc ſolùm dicimus aliquid theologicè probari, quando ex dictis Sacræ ſcripturæ concluditur.— Principia enim theologica ſunt ipſæ ſacri canonis veritates, quoniam ad ipſas ſit ultimata reſolutio theologici diſcurſus; & ex eis primò ſingulæ concluſiones theologicæ deducuntur.—— Illa Major,* Quòd univerſali eccleſiæ ſit credendum, *ex Sacrâ ſcripturâ eſt deducta, & ſic eſt magis concluſio theologica, quàm principium:—ſi Theologo aliquid tale* (aliquis articulus) *negetur, nulla theologica probatio ei reſtat, niſi oſtendere illud eſſe ſcriptum in canone.* Audiamus nunc etiam Cameracenſis diſcipulum Iohannem Gerſonem, cujus hæc ſunt verba Tractatu, *Quæ veritates ſint de neceſſitate ſalutis credendæ. Credulitas,* inquit, *omnium traditorum in Sacrâ ſcripturâ innititur huic principio ſolùm credito, & naturaliter inevidenti, QVOD TOTA SCRIPTVRA A DEO REVELATA EST.* Addit eodem Tractatu: *Vna eſt omnium credibilium credendi ratio, ſcilicet auctoritas primæ veritatis revelantis, quæ nunc videtur in ænigmate.* Sacræ verò canonicæ Scripturæ auctoritatem eſſe tantam, ut omnem aliam cujusvis ſive ſcripti, ſive teſtimonij, ſive decreti, quod quidem hodie exſtet, aut exſtare poſſit, excedat, ex dictis eſt manifeſtum; & ex his potiſſimum rationibus, quòd immediatiùs ſive proximiùs à Deo profecta, quàm ulla alia ſcriptura; & quòd ejus ſcriptores gubernati fuerint divinâ adſiſtentiâ & directione, quali poſt confectam & completam Scripturam nullus alius vel ſcriptor, vel teſtis, vel judex.

Matt. 11, 11. L. De Iohanne Baptiſtâ Dominus ipſe; *Amen dico vo-*

*co vobis, non ſurrexit inter eos, qui naſcuntur è mulieribus, quiſquam major Johanne baptiſta:* & tamen idem Dominus; *Ego teſtimonium habeo majus teſtimonio Johannis. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut ea perficiam, teſtantur de me, quòd Pater miſerit me. Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me. Et Scripturæ ſunt, quæ teſtantur de me.* Scripturarum itaque teſtimonium teſtimonio Iohannis, tamquam majus, præfert. Evangelium, quod prædicavit Apoſtolus Paulus, non eſt aliud, quàm quod hodie Scripturis, & disertè quidem Scripturis Novi teſtamenti continetur. Huic autem tum ſuam ipſius, tum cœleſtium Angelorum auctoritatem ſubjicit, & cedere jubet ſanctiſſimus Apoſtolus. *Etiamſi nos,* ait, *aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema eſto.* Quod Angelus evangelizaverit, ut intelligatur vel idem vel diverſum eſſe ab eo, quod evangelizavit Paulus, oportebit conferri cum evangelio, quod prædicavit Paulus, & hodie canonica Novi teſtamenti ſcripta exhibent; & ſi deprehendatur diverſum eſſe, non obſtante auctoritate Angeli è cœlo, irrogato anathemate repudiandum & damnandum erit. Sic etiam de hodiernâ eccleſiâ ex collatione doctrinæ ejus cum libris Evangelicis judicandum eſſe docuit Driedo ſuperiùs num. XXVI. At presbyteri Congregationis Oratorij, & inter eos Thomas Bozius Eugubinus, dum Romanæ curiæ ejusque Pontifici adulatur, eò uſque provehitur, ut affirmet, *quòd ſit falsò & impudenter dictum, Divinam ſcripturam eſſe majoris auctoritatis, quàm ſit Eccleſia.* Imò juxta ipſum *doctrina Eccleſiæ eſt divina propter Ordinis ſacramentum, quo qui conſecrantur, hauriunt hanc à Chriſto divinitatem, ut ipſorum decreta pro ratione muneris commiſſi divina ſint ac dicantur.* Iohan-

Ioh 5, 30. & ſeqq.

Galat. 1, 8.

De ſignis eccl. l. 16. c. 10. Cap 9.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

hannes Morinus præfatione in verſionem LXX interpretum, præmiſsâ ſplendidis & operoſis Biblijs πολυγλώττοις, Lutetiæ nuper editis, aſſeverat *Scripturæ auctoritatem, quantum ad nos attinet, in Eccleſiæ teſtimonio & auctoritate totam reſidere*.

LI. Verum quidem eſt, Eccleſiam inter homines in mundo conſtitutam & collectam fuiſſe annis propemodum bis mille & quingentis, priuſquam miniſterio Moſis condi cœperit Scriptura. Et potuit aliquamdiu ſine adminiculo Scripturarum haut incommodè conſiſtere Eccleſia, quòd nondum tanta eſſet hominum multitudo per univerſum orbem diſperſa, ut poſtea fuit; quòd præſtò eſſent Patriarchæ maximè longævi, ſinguli erudiendis familijs ſive populis ex ſe ortis intenti; denique quòd his ipſis Deus ſæpe ſeſe manifeſtaret, & peculiaribus alloquijs ſive revelationibus voluntatem ſuam patefaceret. Obſervandum hîc eſt, tum conditi orbis hiſtoriam, tum veri Dei notitiam & cultum uſque ad ætatem Iacobi Patriarchæ per annos plures quàm bis mille, propter longævam vitam ejus ævi mortalium propagari potuiſſe per ſolos tres homines, Adamum videlicet, Methuſalemum & Semum. Potuit Adamum audire Methuſalem; Methuſalemum Semus; Semum autem Iacobus. Potuit igitur audire Iacobus ab eo, qui teſtaretur ſe audiviſſe ex auditore Adami. Cæterùm ubi diſperſum fuit genus humanum per plurimos & disjunctiſſimos terrarum tractus; ubi contrahi cœpit ætas humana, & à multis annis ad paucos redigi, atque adeo deſierunt populis adeſſe μακρόβιοι Patriarchæ, & qui adeſſent, officio negligentiùs fungi; denique ubi Deo viſum fuit ſuarum apparitionum & alloquutionum frequentiam

minue-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

minuere, minúſque crebras hominibus impertire: ibi placuit medium, quod ſuâ naturâ ad conſervandam rerum geſtarum memoriam & doctrinæ veritatem idoneum, nempe Scripturam, adhibere. Non quidem abſolutè neceſſarium fuit Scripturis uti: potuiſſet enim Deus pro immenſâ ſuâ ſapientiâ & potentiâ alias rationes inire, aliosque conſervandæ & propagandæ veritatis modos invenire. Interim ubi ſuppetunt ordinaria media, ad finem ex ſe idonea, non conſuevit illis rejectis ad extraordinaria & ſupernaturalia progredi. Ex re autem Lib.6.init.
& vero *literas* appellat Livius *unam cuſtodiam fidelem memoriæ rerum geſtarum.* nam quod relationes ore tenus factas attinet, οἱ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ᾽ ἀλλήλων δέχονται, ut obſervat Thucydides. *Homines quæ de rebus præteritis* Libro 1.
*audierunt, etiamſi propriè ad eos pertineant, temerè & ſine examine alij ab alijs accipiunt.* Et probat experientia, de rebus majorum noſtrorum, recepto ab ijs literarum uſu antiquioribus, nihil aut parum certi ad poſteritatem derivatum eſſe. Traditio itaque ſine Scripturâ non eſt propagandæ veritati aptum medium: aptiſſimum autem & huic natum factum Scriptura, cui aliàs innituntur res publicæ & privatæ; & quod proinde adhibere Deo etiam ipſi viſum fuit, quum legem, quam inprimis ſervari ſanctamque & perpetuam eſſe volebat, literis & confectis tabulis committeret. Vtendum igitur eodem deinceps etiam fuit, præſertim ex quo hominum multitudo in immenſum excrevit, ætas decrevit, & revelationes complementum & finem ſortitæ ſunt.

LII. Hinc itaque Novi teſtamenti doctrina, per univerſas gentes brevi ſpargenda, non ita ut Veteris, citra



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Scripturam diu fuit relicta, ſed intra annos non adeo multos, quum adhuc Apoſtoli, omnium rerum teſtes, in vivis eſſent, literis commendata. *Non per alios*, ait Irenæus, *diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea verò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* Neque quidquam dignitati vel certitudini Scripturarum detrahit, quòd auctores earum tum Prophetæ tum Apoſtoli non videntur corpus Scripturæ, quale & quantum hodie exſtat, intendiſſe, ſed ſinguli ſeorſim ſuos libros pro conditione ſui temporis & oblatâ occaſione ſcripſiſſe: ſupremus enim architectus fuit Spiritus ſanctus; ſcriptores, tamquam operarij, ſinguli ſuas partes exſequuti opus, quod privatim obtigerat, peregerunt: qualis futura ex junctis omnium laboribus integri & completi operis ſtructura, menti & diſpoſitioni ἀρχιτεκτονικῇ committi oportuit. Neque parcâ manu theſaurum hunc ſuum mortalium generi admenſa eſt benignitas divina, ſed ut potiùs ſuperſit, quàm deſit. Neque enim negari poteſt, etiamſi abeſſent quidam libri, nihilominus conſultum fore humanæ ſaluti. Nihil tamen eſt, quod non ſit *utile ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitiâ: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Ex abundante itaque copiâ, Dei erga homines provida & larga benignitas innoteſcit, ſuoque merito humanos animos ad amorem & laudem provocat.

Lib. 3. c. 1.

2 Tim. 3, 10.

DE

# DE NVMERO LIBRORVM CANONICORVM VETERIS TESTAMENTI.

SAcra canonica Scriptura eſt verbum Dei ab ipſo Deo hominibus patefactum, Sanctoque ſpiritu ſuggerente & dirigente à Moſe, Prophetis, Apoſtolis viriſque Apoſtolicis in literas & libros relatum, & divinâ providentiâ Eccleſiæque operâ ad nos derivatum, cujus infallibili ductu de omnibus creditu & factu ad ſalutem neceſſarijs erudimur, ut per veram & vivam fidem in Ieſum Chriſtum vitam æternam habeamus. Nec altiùs, quàm ad hoc ipſum, adſcendere poſſumus, quando de patefactis à Deo, & creditis, præeunte fide, inquiſitio & diſcurſus inſtituitur; ſicut ex ijs, quæ hactenus dicta fuerunt, ſatis conſtat.

II. Adventus Servatoris Ieſu Chriſti in mundum omne mundi ævum diſpeſcit in partes duas, unam videlicet, quæ adventum præceſſit, & alteram, quæ ſubſequuta eſt: prior Veteri teſtamento tribuitur, poſterior Novo. Quamdiu Vetus obtinuit, exſpectabatur adhuc Chriſtus, & venturus credebatur; quando venit & reapſe exhibitus eſt, incipit Novum. Libri itaque ſub Vetere ſcripti venturum promittunt, & typis ac figuris adumbrant: libri ſub Novo confecti præſentem & exhibitum ſiſtunt, & quomodo propter ſalutem noſtram natus, paſſus, mortuusque fuerit, reſurrexerit, & in cœlos, quum in nomine ſuo Apoſtolos ſuos pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum apud omnes gentes, initio ab urbe Ieruſalem facto, prædicare juſſiſſet, adſcenderit, dilucidè explicant; atque adeo quod ſub

Vetere

Vetere prænunciabatur, obſcuriùs proponebatur & umbris involvebatur, clarè ob oculos ponunt utpote jam perfectum & completum. Hujusmodi θεόπνευστα ſcripta ſub Vetere confieri deſierunt poſt annos mille centum circiter à Moſe primo ſcriptore uſque ad ultimum, ſeculo ante natum Servatorem quarto; ſub Novo intra æ-

Mal. 3. 1. & 4. 5. tatem Apoſtolorum conſtiterunt. Malachias Prophetarum ultimus deſinit in prænunciatione Angeli ante Chriſti faciem mittendi, viamque paraturi, nempe Iohannis baptiſtæ ſub Eliæ titulo & typo adumbrati: ab hoc autem ipſo incipit Novum, ut inprimis videre eſt ſub initium Evangeliſtæ Marci. Atque hoc pacto Vetus Novumque combinantur. Apocalypſis, quâ σύστη-

Lib. 3. c. 25. μα Novi clauditur, *non ante multum temporis*, ait de ſuâ ætate Irenæus, *viſa eſt, ſed penè ſub noſtro ſeculo, ad finem Do-*

Apoc. 22. 18. *mitiani imperij.* Finiens hanc adhibet conteſtationem: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto; & ſi quis abſtulerit aliquid, auferet Deus partem ejus è libro vitæ, & ex urbe ſancta, & ex ijs quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Digna eſt annotari obſervatio Toſtati, quam quæſtioni primæ ad quartum caput Deuteronomij immiſcuit. *Perfecto*, inquit, *nec addi poteſt, nec auferri debet. — Sic Apocalypſeos capite ultimo quia tota revelationum ſeries claudebatur, dicitur; Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas &c.*

III. Diximus, demonſtrationem & deductionum prælucente revelationis & fidei lumine factarum primum principium complexum eſſe, QVIDQVID CANONICA SCRIPTVRA DICIT, DIVINITVS EST DICTVM VEL INSPIRATVM, ET INFALLIBILITER VERVM: primum, inquam, in componendo, ſive à quo initium dedu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

deducendi fiat vel actu, vel virtute; & ultimum in reſolvendo, ad quod tandem iri & in quo ſiſti neceſſe ſit. Vt autem hujus ipſius principij rectus & legitimus queat eſſe uſus, ante omnia terminos intelligi oportet. Quid per prædicatum intelligatur, & quomodo cuncta in Scripturis divinitus dicta, & propterea etiam infallibilia ſint, ipſis Pontificiorum verbis fuit expoſitum. Canonici tituli rationem reddat itidem Pontificius Andradius. Sacræ ſcripturæ libri *ideo*, inquit, *Canonici appellantur, quia pietatis, fidei, & religionis canonem, hoc eſt, regulam, atque normam è cœlis ſummo Dei beneficio ad nos delatam continent ampliſsimam. Nam quum omnipotentis Dei incorruptiſsima & integerrima voluntas humanarum eſſe debeat actionum & voluntatum norma, meritò ſanè à canone & regulâ nomen accipere ij codices debuere, quibus divina ſunt myſteria atque voluntas comprehenſa. —— meritò Canonici, id eſt, humanæ vitæ directores atque moderatores dicti ſunt. Quorum dignitati nulla par oratio poteſt reperiri.* Ex veteribus Chryſoſtomus vocat ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα, *accuratam omnium trutinam & indicem & normam*: Auguſtinus ſtateram divinam. *Afferamus*, inquit, *divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tamquam de theſauris Dominicis, & in illâ, quid ſit gravius, appendamus: imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.*

Defenſ. conc. Trid. l.3. initio.

Hom. 13 in 2 Corinth.

2 de bapt. cont Donatiſtas c. 6.

IV. Vt autem rectè & exactè intelligatur, quid vocabulum *Sacræ canonicæ ſcripturæ* ſibi velit, & quid hoc ipſo ſignificetur, cognoſci oportet, quinam libri ad Sacram canonicam ſcripturam pertineant, vel compagem, ſtructuram & corpus ejus conficiant: & primùm equidem, qui Veteris teſtamenti σύστημα, deinde qui Novi conſtituant & abſolvant. Primâ quidem ætate mundi



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Deum ſeſe ſuamque voluntatem protoplaſtis & ſubſequutis Patriarchis manifeſtaſſe, nondum tamen, quæ revelaverat, in literas & libros referri voluiſſe, dictum eſt ſuperiùs: neque verò opus fuiſſe, quum alloquia divina frequentia tunc eſſent, & cum Patriarchis quaſi familiariter Deus converſaretur: ipſi verò Patriarchæ longævitate ſuâ multa complecterentur ſecula, ut à quibuſvis, poſterorumque poſteris adiri & audiri poſſent. nam nec hi in eam multitudinem excreverant, ut univerſam terræ ſuperficiem occuparent, quum adhuc pauci præ pòſt exortis eſſent, & in meridie atque oriente partem orbis non adeo magnam habitarent. Cæterùm ubi alloquia divina infrequentiora eſſe, homines ut ætate minui, ita numero in immenſum augeri, ſimulque diſpergi cœperunt; placuit Deo revelationes hactenus factas, potiſſimùm, quæ ad hominum ſalutem facerent, & porrò neceſſariæ futuræ eſſent, ſcribi ſive literarum monumentis committi.

V. Ad hanc rem delectus à Deo fuit Moſes, ſcriptorum omnium, quotquot exſtant, antiquiſſimus, & major bello Trojano, quod Homerus Græcorum συγγραφέων vetuſtiſſimus deſcripſit, trecentis minimùm annis. Iſraëlitis quidem potiſſimùm ſcripſit: non tamen manſit ignotus Græcis, quorum aliquos ejus mentionem facientes, noſtræ notitiæ per ævi longinquitatem ſubtractos, memorat Iuſtinus Paræneſi ad Græcos, & Euſebius προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς libro nono. Ex ijs, qui hodie ſuperſunt, Moſis meminerunt Diodorus Siculus libro primo; & Strabo Geographiæ libro XVI; & Dionyſius Longinus libello περὶ ὕψους. Inter Latinos Trogus Pompejus, & ex eo Iuſtinus libro XXXVI; Tacitus

Poſt initium.

etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

etiam Hiſtoriæ quinctò meminerunt, ſed addunt planè abſurda, & à vero aliena. Rectiùs Strabo, Moſes, inquit, *docebat, Aegyptios non rectè ſentire, qui beſtiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, itemq; Afros, & Græcos, qui diis hominum figuram affingerent.* Errat autem, quum addit, juxta Moſis doctrinam *id ſolum eſſe Deum, quod nos & terram ac mare continet, quod cælum & mundum & rerum omnium naturam appellamus.* Vero propiora, quæ ſubjicit: *Loco armorum ſacra & Deum prætendebat, cui ſe dicebat ſedem quærere, & ejusmodi cultum & ſacrificia traditurum pollicebatur, quæ nec impenſâ nec furoribus, neque re ullâ abſurdâ cultores perturbarent. — Succeſſores aliquamdiu in iisdem inſtitutis permanſere,* δικαιοπραγοῦντες, καὶ θεοσεβεῖς ὡς ἀληθῶς ὄντες, *juſti & verè religioſi.* Hoc elogium doctrinæ Moſaicæ ſectatoribus tribuit homo ethnicus. Rectiſſimè autem judicat Dionyſius Longinus, Homerum, qui tamen à Græcis non modò antiquiſſimus, ſed ſapientiſſimus, imò ſapientiæ quidam ſive fons ſive oceanus habitus ſemper fuit, de numine perperam & abjectè commentari. *Videtur mihi,* ait, *quum tradit vulnera deorum, factiones, vindictas, lacrymas, vincula, varias & multas clades; homines qui in bello apud Ilium geſto interfuere, pro virili deos facere, & econtra deos homines voluiſſe.* In eandem ſententiam diſertiſſimus Romuli nepotum: *Fingebat Homerus, & humana ad deos transferebat: divina mallem ad nos.* e Tuſcul.
Sicut autem Homerum de divinis ineptè, ita è contrario Moſen aptè & ex dignitate ſcripſiſſe agnoſcit Dionyſius. Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν· εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ θεὸς, φησί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. *Sic & Iudæorum legiſlator,*

 *vir*

*vir non vulgaris, quandoquidem Numinis potentiam pro digni-tate notam fecit declaravitq́; ſtatim initio prœmij legum ſua-rum ſcribens;* DIXIT DEVS, *inquit; quid?* FIAT LVX, ET FA-CTA EST: FIAT TERRA, ET FACTA EST. Hactenus itaque dignitatem & τὸ εὐπρεπὲς ſcripturæ Moſaicæ intelligere & adſequi potuit homo gentilis.

VI. Non autem ex ſolâ ſuâ ſtructurâ, ſive ex concinnitate verborum quibus utitur, & dignitate rerum quas tractat, & ſanctitate doctrinæ & præceptorum quæ proponit, animadverti poteſt, Scripturam eſſe opus eximium, & neutiquam vulgare: ſed divina gratia, quam verbo ſuo Deum jungere diximus, animum deſiderio cognoſcendæ veritatis & curâ ſalutis ſuæ accenſum, elevat & illuminat, ut quum legit, audit, perpendit, intelligat hujusmodi Scripturam à meris hominibus non profectam, ſed θεόπνευστον, Deoque tamquam primario auctori imputandam eſſe. Hæc autem interna divina illuminatio & teſtificatio etiamſi, ut Scriptura Dei verbum eſſe fide Chriſtianâ, certâ & immotâ credatur, omnino ſit neceſſaria: non tamen eſt idonea, ut per eam, quatenus in me eſt & operatur, alter, qui fortè adhuc ignorat vel dubitat, convincatur. Nemini enim, præter ipſum habentem, nota eſt: atque adeo alteri ob oculos poni non poteſt. Sive itaque de veritate religionis Chriſtianæ, ſive de dignitate & auctoritate Scripturæ agatur, nempe ubi divinam vel à Deo profectam eſſe probari oportet; utendum erit argumentis inducentibus, vel quæ vocari ſolent, motivis externis, alibi expoſitis. His ubi effectum fuerit, ut ad fidei doctrinam, vel Scripturam, quâ hæc nititur, cognoſcendam & conſiderandam animum is, cum quo agitur, adjiciat, ipſa porrò illuminatione &

gra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

gratiâ ſancti Spiritus, quam conjunctam ſecum adfert, fidem & quidem talem, qualis à Chriſtianis habetur, niſi præfractè homo obnitatur, ſibi faciet. Doctrina quidem ipſa vel Scriptura eſt objectum, quod cognoſcitur: ſed ut cognoſci rectè poſſit, voluit Deus cum eâ conjungi & exhiberi gratiam, quâ facultas cognoſcens ſive intellectus illuminetur, & per quam eouſque, quò aliàs pertingere non poſſet, elevetur. Sed hæc, ut diximus, intrinſecus in habente operatur; extrinſecus alterum non movet aut convincit. Ita in ijs, quæ per lumen naturæ cognoſcuntur, ubi de concluſione aliàs certâ, ſed homini incognitâ vel dubiâ agitur, monſtramus principia à quibus pendet, & in quibus virtute continetur, & aſcendimus eouſque, donec quæ in eo genere haberi poſſunt maximè evidentia ob oculos ponantur. Quòd ſi non nemo ne hæc quidem, fortè ob defectum ſive impedimentum luminis naturæ & connatum ſtuporem, capiat; nos ſanè lumen noſtrum, quo res illas penetramus & intelligimus, communicare ei non poſſumus.

VII. Pari ratione, quum de numero librorum divinæ Scripturæ agitur, vel num hic aut iſte liber canonicus ſit, quæritur, ex interno meo teſtimonio veritas alteri, qui dubius fuerit, oſtendi non poteſt, nec qui veritatem impugnaverit, convinci: ſed utendum erit teſtimonio externo illorum, quos rem compertam habuiſſe conſtat: inter quos extra controverſiam eminent, qui ſcriptioni peractæ propiores, ſive tempus ſpectetur, ſive locus, & quorum illa ſcripta fuerunt quaſi propria, ut ſunt ſingulis ferè gentibus ſuæ leges, ſuæ hiſtoriæ: quarum αὐθεντίαν ex harum ipſarum gentium, quarum ſunt

aut fuerunt propriæ, teſtimonio & monumentis innoteſcere nullum eſt dubium.

IIX. Poteſt quidem fieri, ut ad eos etiam, qui extra cœtum Deo peculiariter dicatum vixerunt, de libris ſacris fama pervenerit, atque adeo ignari non fuerint, quos vel olim Iudæi, vel deinceps Chriſtiani tamquam divinos venerarentur. Cæterùm quoniam rem ad ſe parum pertinere arbitrati curæ non habuerunt, teſtimonium quoque illorum de hac ipsâ temerè inveniri vel magni eſſe ponderis non poteſt. Teſtimonio igitur eorum, quibus rem & certò cognitam & magnæ curæ fuiſſe in confeſſo eſt, utendum erit. De libris videlicet veteris teſtamenti teſtimonio tum Iudæorum ſive ſynagogæ, tum Chriſtianorum ſive eccleſiæ, quæ quos ab illâ accepit, ſedulò conſervavit & ad poſteritatem tranſmiſit.

IX. *Primarium* ἀξίωμα Iudæorum eſt, *quòd eis credita ſunt eloquia Dei*, ut loquitur Sanctus Paulus Roman. III, 2. Et *quid eſt aliud hodieq́ue*, ait Auguſtinus, *gens ipſa, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum, baiulans Legem & Prophetas ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ?* Lubet ex eodem adhuc nonnulla ſubjungere. Enarratione in pſalmum XL: *Iudæi tamquam capſarij noſtri ſunt: ſtudentibus nobis codices portant. — Apud illos ſunt Prophetæ & Lex, in quâ Lege & in quibus Prophetis Chriſtus prædicatus eſt. — Si aliquis perſtrepit inimicus, & dicit, Vos vobis prophetias finxiſtis; proferantur codices Iudæorum.* Rurſus in pſalmum LVI: *Propterea adhuc Iudæi ſunt, ut libros noſtros portent ad confuſionem ſuam. Quando enim volumus oſtendere paganis prophetatum Chriſtum, proferimus paganis iſtas literas: — quia omnes ipſæ literæ, quibus Chriſtus prophetatus eſt, apud Iudæos ſunt; omnes*

12 contra Fauſt. c. 23.

*ipſas*

*ipſas literas habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. Codicem portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarij noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre.* Libri itaque, quos Iudæi non habent, ad literas, quibus prophetatus eſt Chriſtus, ſive ad ſacrum canonicum volumen Veteris teſtamenti non pertinent. Fieri enim nullâ ratione poteſt, ut ſit canonicus liber Veteris teſtamenti, quem numquam habuerint, numquam talem agnoverint Iudæi. Nec fieri poteſt, ut teſtetur primitiva eccleſia de libris à ſynagogâ per manum traditis & acceptis, quos tamen nec hæc umquam tradiderit nec illa acceperit. Falſum enim teſtaretur. Et falſum quoque diceret, ſi diceret fuiſſe ſub Vetere teſtamento canonicos illos libros, qui tamen in canonem eo tempore numquam admiſſi.

X. De libris autem ſub Vetere teſtamento canonicis luculentius aliud perhiberi non poteſt teſtimonium, quàm perhibet ipſe ille ſacer codex, uti Hebræis in uſu fuit hodieque eſt, & ab illis ad eccleſiam & Chriſtianos tranſiit. Quem certum eſt alios, quàm Hebraicè ſcriptos, vel alios, quàm quos hodie complectitur, numquam continuiſſe: & proinde libros Tobiæ, Iudith, Baruch, Sapientiæ, Siracidæ, Maccabæorum & græcas ad Eſtherem & Danielem additiones abfuiſſe, nec parem cum Moſe, Prophetis & Pſalmis locum vel auctoritatem obtinuiſſe. Ita Homeri, Herodoti, Thucydidis libros Græcis græcè ſcriptos, quos ſub horum auctorum elogio à Græcis ad nos perveniſſe conſtat, genuinos agnoſcimus: ſi ſub ijſdem nominibus venditarentur, nec græcè ſcripti, nec à Græcis umquam auctoribus iſtis tributi, à nobis omnino repudiarentur. Et ſicut poſterius ſecu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſeculum non poteſt efficere, ut ſeculi prioris, quod dudum præteriit, leges fuerint, quæ durante illo ſeculo vim legum non obtinuerunt: ita quoque poſterior eccleſia, Novi videlicet teſtamenti, non poteſt efficere vel ſtatuere, ut fuerint libri pertinentes ad ſacrum canonem prioris eccleſiæ, nempe Veteris teſtamenti, quos hæc ipſa eccleſia in ſuum canonem numquam recepit vel admiſit.

XI. Codex autem Hebræus ſacros Veteris eccleſiæ & teſtamenti libros complexus tres eorum ſtatuit claſſes. Prima continet libros Moſis & legis, numero quinque: unde Iudæi חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה & חוּמָשׁ & תּוֹרָה *quinque quintas legis*, ſive *legem in partes ſeu libros quinque diſtributam* appellant; Græci πεντάτευχον. Moſes propheta quidem fuit; imò maximus propheta, ut etiam ſummi θεανθρώπου prophetæ Chriſti Domini typus peculiaris fuerit, Deut. XIIX, 18: Act. III, 22; VII, 37. Sed quia maximus & cæteris divinitus prælatus, cui internuncij ſive mediatoris inter Deum & populum Iſraëliticum, legiſque promulgandæ munus commiſſum fuit; ideo à cæteris ſecernitur. De eo videlicet ipſe Dominus Num. XII, 6: *Si eſt propheta ex vobis, per viſionem me notum facio ei, aut per ſomnium alloquor eum: non ſic ſervus meus Moſeh, qui eſt in totâ domo meâ fidelis: ore ad os* ſive coràm *alloquor eum, ut ſpeciem ſimilitudinemq; Domini intueatur, ac non per ænigmata.* Et Deuter. XXXIV, 10: *Non ſurrexit ulteriùs propheta in Iſraële par Moſi, quem noſſet Dominus facie ad faciem*, id eſt, qui adeo frequente Domini conſuetudine uteretur, & cum Deo quaſi familiariter converſaretur & colloqueretur. Secunda claſſis complectitur Prophetas priores & poſteriores, נְבִיאִים רִאשׁוֹנִים

&

& אַחֲרוֹנִים. Tertia כְּתוּבִים, ſubintellige בְּרוּחַ הַקֹּדֶשׁ libros ſcriptos per Spiritum ſanctum: quo intuitu ἁγιόγραφα Græcis dicuntur. Haut malè Brito, auctor expoſitionis Prologorum Biblicorum, quæ Lirani Poſtillæ immiſcetur, ad prologum in Ioſuam: Hagiographorum *nomen, commune eſt omnibus Sacræ ſcripturæ libris; & quia hi novem non habuerunt eminentiam præ cæteris, ſecundum quam agnominarentur, ideo communi nomine contenti ſunt.* Diſcernuntur autem à Prophetis ideo, quia quamvis inſtinctu & ſpiritu prophetico (inde ſanctus Petrus prophetam Act. 2, 30.
vocat Davidem; ipſe Chriſtus Danielem: quomodo in Matt. 24, 15
antiqui fœderis libris nuſpiam vocantur) ſint ſcripti; ab alijs tamen, quàm qui officio prophetæ eſſent, & munere publico docendi ac prophetico fungerentur, editi fuerunt: quales David & Salomo reges: Daniel è proceribus aulæ Babylonicæ unus: Iobus, auctor ut creditur ſui libri, toparcha in terrâ Huz; Mardochæus, auctor, ut itidem creditur, libri Eſtheræ, magnatum in regiâ Aſſueri unus, imò præcipuus; Hezra & Nehemia, alter ſacerdos & legis interpres, alter pincerna regis Artaxerxis; uterque dux populi Ieroſolymam inſtaurantis.

XII. Hanc partitionem ſacrorum canonicorum librorum, quum Servator in terris ageret, receptam, imò ab ipſo Servatore probatam fuiſſe, docemur ejus verbis apud Lucam xxiv, 4: *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Pſalmos ponit pro Hagiographis, quòd inter ea emineant, & primo loco compareant. Per compendium autem Hagiographa ſub Prophetis comprehendit (nam hæc quoque, ut diximus, prophetico ſpiritu ſcripta) quando ait

Lucæ xvi, 29; *Habent Moſen & Prophetas*: Matthæi v, 17; *Non veni diſſolvere legem aut Prophetas*: vii, 12; *Quæcumque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis: iſta enim eſt Lex & Prophetæ*: xi, 13; *Omnes Prophetæ & Lex usq; ad Johannem prophetarunt*: xxii, 40; *Ab iſtis duobus præceptis*, diligendi videlicet Deum, & proximum, *tota Lex & Prophetæ pendent*. Ioh. i, 46; *De Chriſto ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ.* Sic etiam dicit ſanctus Paulus *ſe credere omnibus, quæ in Lege & in Prophetis ſcripta ſunt*, Act. xxiv, ix: *juſtitiam Dei teſtimonio comprobatam eſſe à Lege & Prophetis*, Rom. iii, 21: dicitur ſuaſiſſe Romæ Iudæis, *quæ de Jeſu Chriſto ſunt, ex lege Moſis & Prophetis*, Act. xxiix, 23: Pſalmorum enim teſtimonia ab eo negligi vel omitti non potuerunt. Ad eamdem partitionem reſpicit ſine dubio Siracides, prologo ſui libri, ubi memorat avum ſuum deditum fuiſſe lectioni *tam Legis Prophetarumq;, quàm aliorum librorum patriorum*, ſive à patribus acceptorum, per quos Hagiographa intelligere videtur. Auctores Maſoræ his literis תנכ utuntur, indicium illis facientes, vocabulum in Lege Prophetis & Hagiographis occurrere. nam ת Thorah, נ Nebiim, כ Cethubim deſignat. Gamaliel à Sadducæis interrogatus, unde probare poſſet Deum ſanctum & benedictum reſuſcitaturum eſſe mortuos, reſpondit, *Ex Lege, ex Prophetis, & ex Hagiographis.* Ita enim legitur in Gemarâ Talmudicâ codice Sanhedrin, ſub initium capituli
Pag 90. Chelec: שאלו צרוקין את רבן גמליאל מנין שהקב״ה מחיוה מתים אמר להם מן התורה ומן הנביאי ומן הכתובים
Hæreſi 29. Epiphanius teſtatur quòd à Nazaræis, quemadmodum à Iudæis, habeantur & legantur πᾶς ὁ νόμος, καὶ οἱ προφῆται, καὶ τὰ γραφεῖα λεγόμενα.

XIII.

XIII. Celebris eſt ſententia, & ut videtur ſatis probabilis, poſt reditum è captivitate Babylonicâ libros ſacros ab Hezra fuiſſe recenſitos, & in hunc ordinem hasque claſſes digeſtos. Fabula verò eſt, quod memoratur libro apocrypho, qui dicitur Quartus Hezræ, *legem totam exuſtam fuiſſe, neminemq́; ſciviſſe, quæ à Deo facta eſſent, vel prædicta ut fierent:* Hezram autem à Deo juſſum & inſpiratum XL dierum ſpacio CCIV libros dictaſſe. Videtur ſanè fabula nonnullos in fraudem induxiſſe, ut exiſtimarent ſacros libros per excidium urbis & templi, & captivitatem populi deperditos ab Hezra (vel Eſdra) ad iſtum modum reſtauratos fuiſſe. Cæterùm non eſt quare planè deperditos dicamus. Quin redintegratâ urbe poſtulavit populus ab Hezra, *ut afferret librum legis Moſis, quem præceperat Dominus Iſraëli. Afferens itaque legit in illo à manè uſque ad meridiem coram viris & mulieribus. Similiter Levitæ legerunt in libro legis Dei explanatè.* Opera igitur Hezræ in eo poſita fuit, ut Legem populo prælegeret & exponeret; non ut deperditam dictando reſtauraret, & quaſi redivivam reduceret. Tertullianus tamen libro de habitu muliebri, Noë, inquit, librum Enoch *abolefactum violentiâ cataclyſmi, in ſpiritu rurſus reformare potuit, quemadmodum & Hieroſolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram reſtauratum.* Irenæus libro III, cap. XXV: *In eâ captivitate populi, quæ facta eſt à Nabuchodonoſor, corruptis Scripturis, & poſt ſeptuaginta annos Judæis deſcendentibus in regionem ſuam, & poſt deinde temporibus Artaxerxis Perſarum regis inſpiravit Heſdræ ſacerdoti tribus Levi, prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quæ data eſſet per Moyſem.* Imitatus eſt & propemodum

Cap. 14, 21 & ſeqq.

Nehem. 8, 2

Verſ. 9.

Cap. 3.

Ante fin. deſcripſit Clemens primo Stromatum. Verba Irenæi
cap 8. ipſa exhibet Euſebius hiſtoriâ quinctâ. ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐπὶ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ τοῦ λαοῦ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, καὶ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη τῶν Ἰουδαίων ἀνελθόντων εἰς τὴν χώραν αὐτῶν. ἔπειτα ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως, ἐνέπνευσεν Ἔσδρᾳ τῷ ἱερεῖ ἐκ τῆς φυλῆς Λευὶ, τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ
Cap.3. τὴν διὰ Μωσέως νομοθεσίαν. Hieronymus libro adverſus Helvidium, Eſdram vocat *inſtauratorem Pentateuchi*. Baſili-
Circa finem. us epiſtolâ ad Chilonem: Prope Carmelum *eſt campus, in quem quum Eſdras ſeceßiſſet, libros Scripturæ divinitus inſpiratæ divino juſſu eructavit.* πεδίον ἐν ᾧ ἀναχωρήσας Ἔσδρας, πάσας τὰς θεοπνεύστους βίβλους προστάγματι Θεοῦ ἐξηρεύξατο. Id ſanè conforme prorſus narrationi apocryphæ in quarto Eſdræ. Chryſoſtomus homiliâ IIX in epiſtolam ad Hebræos: *Incenſi ſunt libri: inſpiravit DEUS iterum alium virum, ut mirabiles illas ſcripturas repararet, Eſdram dico; & ex reliquiis illarum componere fecit.* Theodoretus præfatione in Pſalmos. Θείας ἀναπλησθεὶς χάριτος ὁ θαυμάσιος Ἔσδρας τὰς ἱερὰς ἀνέγραψε βίβλους, ὑπὸ τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀμελείας, καὶ τῆς τῶν Βαβυλωνίων δυσσεβείας, πάλαι διαφθαρείσας. *Mirabilis Eſdras divinæ gratiæ plenus ſacros libros deſcripſit, partim per Judæorum incuriam, partim per Babyloniorum impietatem pridem depravatos.* Repetit procemio in Cantica, omneſque veteris Scripturæ libros reſtaurationi per Eſdram factæ imputat. οὐκ ἐξ ἀντιγράφων δὲ ἔγραψεν, inquit, ἀλλὰ τοῦ θείου πνεύματος πλήρης γενόμενος. *Scripſit nullo adiutus exemplari, ſed divino ſpiritu afflatus.* Auctor
Lib.2.c.33 de mirabilibus Scripturæ inter opera Auguſtini: *Tempore captivitatis completo Eſdras Dei ſacerdos combuſtam à Chaldæis in archivis templi reſtituit legem: nempe qui eodem*

*ſpiritu,*

*ſpiritu, quo antea ſcripta fuerat, plenus fuit.* Plerique ab apocrypho auctore, ut apparet, ſeducti, Eſdræ plus, quàm par eſſet, tribuunt. Propius & ſimilius vero, quod de Pſalmis affirmavit Eſdræque tribuit Hilarius, idem de cæteris quoque antiqui fœderis libris concedere. *Incompoſitos eos*, inquit, *& pro auctorum ac temporum diverſitate diſperſos, in volumen unum collegit & retulit.* Eodem ſenſu accipi poſſunt illa Iſidori: *Hebræi Vetus teſtamentum, Eſdra auctore, juxta numerum literarum ſuarum viginti duobus libris accipiunt, dividentes eos in tres ordines, Legis ſcilicet, & Prophetarum, & Hagiographorum.* Et hæc Rabani Mauri, quæ tamen ipſa ex Iſidoro deſcripſit. *Omnes hos* Hebraicos *libros Eſdra poſt incenſam legem à Chaldæis, divino afflatus ſpiritu reparavit; cunctaque prophetarum volumina, quæ fuerant à gentibus corrupta, correxit, totumq́; teſtamentum in viginti duos libros conſtituit, ut tot libri eſſent in lege, quot habentur & literæ.* Neque magiſtri Hebræorum Eſdræ ejusque ſociis, ultimis videlicet prophetis & ſenioribus (quos vocant אַנְשֵׁי כְּנֶסֶת הַגְּדוֹלָה *viros concilÿ magni*; cui nempe caput & præſidem Eſdram tribuunt) aliam quàm colligendi, recenſendi & dirigendi operam adſignant.

Prologo in Pſalm.

Orig. l. 6. cap. 1.

Inſtit. cleric. l. 2. c. 54

XIV. Codex itaque ſacrorum voluminum Veteris teſtamenti, qualis & quantus fuit mox poſt captivitatem Babylonicam & ſeculo Eſdræ, talis & tantus à Iudæis accuratè conſervatus ad tempora verſati in terrâ Servatoris tranſiit; & inde ad Eccleſiam venit, ſine ullâ additione, imminutione vel immutatione; & in hunc uſque diem à Iudæis, ut integer & inviolatus permaneat, ſummâ curâ non ſaltem religiosè, ſed etiam ſuperſtitiosè, cuſtoditur. Obſervandum autem in quibus-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

buſdam editionibus primæ claſſi ſive Pentateucho ſubjungi quinque libellos feſtivitatum, uti vocant. Quandoquidem enim vertente quolibet anno totam legem in ſynagogis ſuis prælegunt, hos autem certis nonnullis temporibus & feſtis, quæ celebrant, ideo à claſſibus, ad quas aliàs pertinent, amotos Legi ſubjungunt. *Moſes*, ait Apoſtolus Iacobus, *ab ætatibus antiquis oppidatim habet, qui ipſum prædicent, quum in ſynagogis per ſingula ſabbata legatur.* Quod inde à tot ſeculis in hunc uſque diem obtinet eum in modum, ut quotannis totus abſolvatur. Singulis enim ſabbatis ſingulæ adſignatæ ſunt פָּרָשׁוֹת ſive *ſectiones*: quibus ſubjunguntur lectiones è Prophetis tum prioribus tum poſterioribus, è nullo autem ſæpius quàm ex Ieſaia, reſpondentes & congruæ lectionibus Moſaicis. הַפְטָרוֹת vocant ſive *dimiſſiones*, quòd ijs lectis populus dimittatur. Ad hanc voculam annotat Elias, quem Levitam & Germanum vocant, in ſuo Tiſchbi, temporibus Antiochi Epiphanis Iudæorum hoſtis factum eſſe, ut quum ab eo prohiberentur legem more conſueto ſabbatis populo proponere (*apud quemcumque* enim *inveniebatur liber fœderis, & quicumque obſervabat legem, edicto regis afficiebatur morte*) in vicem lectionum Moſaicarum ſubſtituerint Propheticas, quantum fieri poſſet, cognatas. *Quamvis inhibitio illa ceſſavit*, ait Elias, *ritus tamen iſte non ceſſavit, ſed uſque in hunc diem legunt ſectiones Propheticas poſt lectiones Legis.* Innuit videlicet, ceſſante tyrannide Antiochi & recuperatâ facultate legendi Moſen, manſiſſe nihilominus morem legendi Prophetas, & ex eis deſumtas Haphtaras Moſaicis Paraſchis ſubjungendi. Sanè *lectionem Legis & Prophetarum* ſabbatis frequentari ſolitam

Act. 15, 22.

1 Macc. 1, 60.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tam conſtat ex Act. XIII, 15 : & ibidem ſanctus Paulus affirmat, *voces Prophetarum per omne ſabbatum legi.* verſ. 27.
Quænam autem Haphtaræ Propheticæ reſpondeant Paraſchis Moſaicis, oſtendit לוח ſive tabula Biblijs Hebræis ſubjungi ſolita. Tota quidem lex lectionibus, quæ ſabbatis deſtinatæ, abſolvitur : feſtis nihilominus magnis, quæ eò faciant, ex illâ prælegunt; & tum his ipſis tum alijs inſignibus præter ſabbata diebus ſuas partim ex Moſe partim ex Prophetis lectiones tribuunt. Celebrant enim juxta legem Moſaicam tria magna feſta, quæ appellant שָׁלֹשׁ רְגָלִים vocabulis ab Exodo Cap. 23, 14.
deſumtis; Paſchæ videlicet, Septimanarum ſive Pentecoſtes, & Tabernaculorum. Feſto Paſchæ legunt Canticum canticorum; feſto Septimanarum libellum Ruth; feſto Tabernaculorum Eccleſiaſten. Die autem nono menſis quincti ſive Iulij, quo templum à Nebucadnezare exuſtum, legunt Threnos Ieremiæ; diebus Purim, qui in Adar vel Februarium incidunt, librum Eſther, in memoriam liberationis à crudelibus molitionibus Hamanis. Et hi ſunt libri, quos חָמֵשׁ מְגִלּוֹת appellant, & loco ſuo motos Pentateucho ſubjungunt.

XV. Secunda claſſis continet priore loco Prophetas priores, qui ſcriptis ſuis nomina ſua non addidere, nempe librum Ioſuæ, librum Iudicum, cujus aliàs appendix libellus Ruth, partem genealogiæ Davidis, & proinde Chriſti, complexus; duos libros Samuelis, qui tamen antiquis Hebræis unicus; & totidem Regum, itidem Hebræis unus : poſteriore exhibet Prophetas tum majores tres, Ieſaiam, Ieremiam unà cum ſuis Threnis ſive lamentationibus, & Iezechielem; tum minores



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

duodecim, quos memoriæ ſuggerere poterunt quaſcumque hi verſiculi:

Præcedunt Hoſea, Ioël, Hamos, Hobadiah:
Ionas, Micha, Nahum, Chabacuc, Zephania ſequuntur.
Poſtremi Haggæus, Zacharias & Malachias.

Iudæi vocant תְּרֵי עֲשַׂר *Duodecim*, Chaldaicè per ſyncopen תְּרֵיסַר & pro uno libro habent. Hinc protomartyr Stephanus quum ex Hamos quædam proferret, ea ſcripta dicit *in libro Prophetarum*, Actor. VII, 42. Hieronymus epiſtolâ ad Paulinum: *Duodecim Prophetæ in unius voluminis anguſtias coarctati.* Et hinc Epiphanio vocatur τὸ Δωδεκαπρόφητον; & Epiphanium ſequuto Damaſceno. R. David Kimhi in Hoſeam præfatus orditur in hunc modum: *Hic liber coagmentatus eſt ex XII Prophetis. Dixerunt doctores noſtri, quorum memoria ſit in benedictione, conjunctos eſſe ne quis ex illis liber periret propter brevitatem ſuam, ſi unusquisque ſecundum ſe ſeorſim haberetur.* Hinc itaque Iudæi octo numerant libros propheticos, nempe quatuor priorum Prophetarum, Ioſuæ, Iudicum, Samuelis, Regum; & quatuor poſteriorum Ieſaiæ, Ieremiæ, Iezechielis & duodecim conjunctorum. Hieronymus Prologo galeato: *Fiunt pariter Veteris legis libri viginti duo, id eſt, Moſis quinque, & Prophetarum octo, Hagiographorum novem.* Bava bathra: *Habuit octo Prophetas unà colligatos.* היו לו שמונה נביאים מרבקים כאחר Servator ex Ieſaia, Marcus ex Malachia, Paulus ex Habacuc nonnulla proferentes, dicunt illa ſcripta *in Prophetis*, id eſt, in eo volumine ſive parte Scripturæ, quæ Prophetis tribuitur.

[Margin: Hæreſi 8. Lib. 4. c. 18. Fol 13. b. Ioh 5, 45. Marci I. 2. Act. 13, 40.]

XVI. Tertia claſſis novem libris Hagiographa, uti modò diximus, complectitur, & primo quidem loco ex-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

eô exhibet ſcripta duorum Regum, Pſalmos videlicet Davidis, quos Hebræi inſtar Moſaici voluminis in quinque libros, qui numerum tamen Canonicorum non augent, (*inciſiones* appellat Hieronymus) partiuntur; & tres libros Salomonis, Parabolas, Eccleſiaſten & Canticum canticorum: deinde Iobum; poſtea Danielem; Hezram vel Eſdram unà cum Nehemia, qui juncti apud Hebræos unum conficiunt librum; hiſtoriam Eſtheræ; denique דִּבְרֵי הַיָּמִים Verba dierum, Annales ſive Chronicon, quod continet breviarium propagati ab orbe condito generis humani, poſterorumque Abrahami uſque ad Saulem & Davidem; & inde compendium rerum à Davide Regibusque ſucceſſoribus geſtarum uſque ad ſolutam captivitatem Babylonicam. Exhibet igitur hoc ipſum Chronicon ſummam temporis & hiſtoriæ, quæ in ævum, quo Patriarchæ, Moſes & auctores canonicorum antiqui fœderis librorum vixerunt, incidit; quin ob hanc rationem utpote *inſtrumenti veteris epitome*, quemadmodum loquitur Hieronymus, ultimo loco collocatum ſeriem librorum, quos diximus, claudere videtur. Hi itaque ſunt libri, præter quos Eccleſia veteris teſtamenti alios ullos, tamquam canonicos & propheticos, numquam habuit, aut in conſortium ſacri codicis admiſit.

Prol. gal.

Epiſtola ad Paulinum.

XVII. Rei ſive firmandæ ſive illuſtrandæ faciunt verba Ioſephi, ſcriptoris rerum Iudaicarum antiqui & accurati, libro primo contra Apionem: quæ proinde hîc legi operæ fuerit precium. οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων. δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως πεπιστευμένα. *Non ſunt nobis innumeri libri diſcordes inter ſe, ac pugnantes,*

*gnantes, ſed duo tantùm & viginti, totius temporis deſcriptionem continentes, quibus meritò fides habetur. Horum quinque Moſis ſunt, qui & leges continent,* (ἃ τούς τε νόμους περιέχει: ita apud Euſebium, qui hæc ipſa producit, legitur rectiùs, quàm γενομένους, uti eſt in hodiernis Ioſephi codicibus) *& humani generis propagationem, & ad mortem uſque illius extenduntur. Tempus hoc tribus annorum millibus paullò minus eſt. A morte verò Moſis uſque ad regnum Artaxerxis, qui poſt Xerxen Perſarum rex fuit, Prophetæ Moſe poſteriores ſuorum temporum res geſtas tredecim libris complexi ſunt.* Hi ſunt libri Ioſuæ, Iudicum, Samuelis, Regum; Ieſaiæ, Ieremiæ, Iezechielis, XII Prophetarum; Danielis, Iobi, Eſdræ, Eſtheræ, Chronicorum. *Reliqui quatuor* (Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica) *hymnos ad Deum, & admonitiones ad corrigendam hominum vitam continent. Ab Artaxerxe autem ad noſtra uſque tempora ſunt quidem ſingula ſcripta, non tamen ita fide digna, ſicut præcedentia,* διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν, *quòd non fuerit certa Prophetarum ſucceſſio. Res ipſa verò oſtendit, quantam nos ſcripturis noſtris fidem habeamus.* τοσούτου γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος, οὔτε προσθεῖναί τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκε. πᾶσι γὰρ σύμφυτόν ἐστιν εὐθὺς ἐκ τῆς πρώτης γενέσεως Ἰουδαίοις ὀνομάζειν (τὸ νομίζειν apud Euſebium rectiùs) αὐτὰ θεοῦ δόγματα, καὶ τούτοις ἐμμένειν, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν, εἰ δέοι, θνήσκειν ἡδέως. *Quum enim tantum interea ævi ſit elapſum, nemo tamen illis vel adijcere quidquam, vel adimere, vel mutare auſus fuit. Nempe omnibus Judæis ab ineunte ætate inſitum & quaſi innatum eſt, hæc Dei dogmata exiſtimare, inque illis permanere, & pro illis cupidè, ſi neceſſe ſit, mori.* Ad eumdem modum Philo apud Euſebium προπαρασκευῆς libro octavo teſtatur Iudæos

Hiſt l.3. cap.9.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

dæos annis pluribus quàm bis mille μὴ ῥῆμά γε μόνον τῶν ὑπὸ Μωσέως γεγραμμένων κινῆσαι, ἀλλὰ κἂν μυριάκις αὐτοὺς ἀποθανεῖν ὑπομεῖναι θᾶττον, ἢ τοῖς ἐκείνου νόμοις καὶ ἔθεσιν ἐναντία πεισθῆναι. *Ne unicam quidam in iis, quæ à Moſe ſcripta ſunt, voculam immutarunt; quin imò malint millies mori, quàm ejus legibus & ſtatutis derogare.*

XIIX. Obſervari poteſt Ioſephum ſacros libros numero viginti & duorum includere, uti etiam facit Hieronymus Prologo galeato. Recentiores itaque ſunt illi *nonnulli*, qui, ut ibidem memorat Hieronymus, *Ruth & Cinoth inter Hagiographa ſcriptitant, & hos in ſuo numero putant ſupputandos, ac per hoc eſſe priſcæ Legis libros viginti quatuor; quos ſub numero viginti quatuor ſeniorum Apocalypſis Iohannis inducit adorantes Agnum.* Apoc. 4, 4. Et hos tamen nonnullos ſequitur, quum ſcribit præfatione in Danielem : *In tres partes omnis à Iudæis Scriptura dividitur, in Legem, in Prophetas, & in Hagiographa, id eſt, in quinq;, & in octo, & in undecim libros.* Item præfatione in Eſdram & Nehemiam : *Quæ non habentur apud Hebræos, nec de XXIV ſenibus ſunt, procul abjicienda.* Hinc etiam vocant עֶשְׂרִים וְאַרְבַּע *Viginti quatuor.* Targum in Cantica : *Illi Deo, ait ſynagoga Iſraëlitica,* Cap. 5, 10. *cupio ſervire, qui interdiu amictus eſt ſtola candidâ inſtar nivis,* וְעָסֵק בְּעֶשְׂרִין וְאַרְבְּעָה סִפְרִין *& occupatus eſt in viginti quatuor libris* Biblicis, nempe *Legis, & verborum Propheticorum, & Hagiographorum; & noctu occupatus eſt* ſive ſtudet *in ſex ordinibus Miſchnæ* Talmudicæ. Vel hinc patet paraphraſten hunc non eſſe admodum antiquum, & Onkeloſio quin & Ionathane, quem vocant, longè recentiorem. Quòd autem iſta abſurditatem manifeſtam imò impietatem contineant, ideo in poſterioribus editionibus omiſſa ſunt. Et rectius igitur eſt & antiquius Ruth cum



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Prol.gal. Iudicibus, quorum *diebus facta ejus narratur hiſtoria, in eumdem librum compingere*, ut loquitur Hieronymus, & à Ieremia ſuos Threnos non divellere. Sed hæc obiter & in tranſcurſu.

XIX. E Ioſephi autem & Philonis verbis id etiam rectè colligitur, fruſtra fore, ſi qui dicere auſint, libros, de quibus controvertitur, olim in canone fuiſſe, ſed à Iudæis rejectos eſſe. Majore enim reverentiâ & religione ſacros libros & hodie proſequuntur, & ſemper proſequuti ſunt Iudæi, quàm ut minimum tanti facinoris in animum admitterent. Et quando rejecerunt? Num ante exhibitum Meſſiam? At liber Siracidæ ſub Ptolomæo Evergete ſcriptus eſt: libri Maccabæorum altero ante natum Servatorem ſeculo. Num ſimul ac in lucem prodierunt, rejecti ſunt? Et qui propter Scripturas perperam expoſitas & traditionum additamentis oblæſas acriter à Servatore objurgantur, quomodo, ſi tot tantosque ſacros librôs rejeciſſent, & canonem Scripturarum quartâ ſui parte mutilaſſent, eo nomine reprehenſi numquam eſſent? Nec priſci Chriſtiani criminis hujus meminerunt, aut Iudæos accuſant. Quod factum omnino fuiſſet, ſi vel ante vel poſt exhibitum Servatorem id commiſiſſent.

XX. Porrò quo ſuo bono, quo fine rejecerunt? Loca quidem, quæ Meſſiam pridem veniſſe docent, quòd abolita velint, ſuſpicio eſt. At talia in iſtis libris nulla occurrunt. Si Iudæis mutilandi vel animus vel facultas, mutilaſſent potiùs Ieſaiam & Danielem. Nugatur autem Iacobus de Valentiâ, epiſcopus Chriſtopolitanus, quum ſcribit magiſtros Hebræorum temporibus Conſtantini *in Babylone Aegypti congregatos poſuiſſe Davi-*

Prol in Pſal tract 2 art. 3.

*dem*

*dem & Danielem inter Hagiographa, ut auferrent eis dignitatem prophetiæ, eò quòd clariùs loquuntur de Chriſto, & de tempore adventus ejus*: imò additis punctis vocalibus *falſificaſſe & pervertiſſe Scripturas à vero ſenſu & ſignificatione.* Tract. &c.

XXI. Denique quâ linguâ exſtabant iſti libri, quando à Iudæis ut Canonici habebantur & legebantur? Num aliâ, quàm quâ hactenus uſi ſcriptores θεόπνευστοι, & quam intelligerent, qui Ieroſolymis & in Palæſtinâ degebant? Si hac ipsâ, quî fit, quòd interciderint? quòd Eccleſia, quemadmodum acceperat, non ſervaverit? præſertim quũ primi Chriſtiani à Iudæis eſſent, & quemadmodum cæteros, ita quoque hoſce libros, ſi Hebraicè tunc exſtitiſſent, tales ſecum in Eccleſiam tranſtuliſſent. Hieronymus quidem affirmat ſe *Maccabæorum primum librum Hebraicum reperiſſe*; item Tobiæ & Iudithæ libros *Chaldæo ſermone conſcriptos.* Præfatus in libros Salomonis itidem teſtatur ſe Siracidæ librum *Hebraicum reperiſſe.* Verſiones hæ poſterioribus temporibus confectæ, & ipſo Hieronymi ævo, ut appáret, raræ paucorumque manibus tritæ. De cæteris, quamquam ſatis grandibus libris, nullum vel Hebræo vel Chaldæo ſermone redditum reperire potuit. Quin ſecundum Maccabæorum *Græcum eſſe* affirmat, *quod ex ipsâ quoque phraſi probari poſſit.* Et de libro, qui Sapientia Salomonis inſcribitur; *Apud Hebræos nuſquam eſt. quin & ipſe ſtylus græcam eloquentiam redolet.* Sed hic etiam poſtea converſus fuit, quod ex auctiore Rabbinicâ Buxdorfij Bibliothecâ diſcimus. *Rabbi Moſes bar Nachman in præfatione Commentarij ſui in legem teſtatur ſe eum vidiſſe in linguam Chaldaicam ſive Syriacam translatum; & adducit illic aliquot verſus, qui exſtant in libro græco Sapientiæ. Dialectus autem in illis eſt purè Syriaca, unde*

Prol. gal. — Præf. in Tob. & Iud. — Prol. gal. — Præfat in libros Sal.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*recentior videtur eſſe illa translatio.* Hæc ibi. Tobiæ itidem liber hodie exſtat Hebraicè, editus & latinè converſus à Sebaſtiano Munſtero. Tales translationes omnes, & quas Hieronymus memorat, & quæ acceſſerunt poſtea, à recentioribus Iudæis confectæ, nec umquam tamen in Canonem, ut pari cum cæteris loco vel auctoritate eſſent, receptæ fuerunt.

XXII. Vt igitur dictum eſt pridem, quos ſynagoga in canone numquam habuit, hos etiam Eccleſia tamquam canonicos Veteris teſtamenti agnoſcere non potuit. Implicat enim, librum eſſe canonicum Veteris teſtamenti, & tamen ſub ipſo illo vetere teſtamento nec canoni adſcriptum, nec canonicum habitum fuiſſe. Quare, ſi de libris Veteris teſtamenti loquamur, & vocem *canonici* propriè & ſtrictè accipiamus, non poteſt alius dari canon Chriſtianorum, quàm Iudæorum, ſed unum & eumdem oportet eſſe. Sicut, inquam, non ſunt alij libri Moſaici Chriſtianorum, quàm Iudæorum, ita in univerſum de Canonicis antiqui fœderis ſtatuendum erit, ut non poſſint eſſe alij Eccleſiæ poſt Chriſtum, quàm fuerunt ſynagogæ ſive Eccleſiæ ante Chriſtum.

XXIII. Neque verò Eccleſia Chriſtiana alios canonicos libros vel alium canonem admiſit aut habuit. Quod attinet ipſam Novi teſtamenti ſcripturam, in eâ per Servatorem partitio in Legem, Prophetas & Hagiographa, ut monuimus, approbatur; & proinde ſeparantur libri, qui ad unam ex his claſſibus referri nequeunt, uti non poſſunt controverſi. Nec ullibi in toto Novo teſtamento ullum ex tot & tantis libris profertur dictum aut teſtimonium aut exemplum.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

XXIV. Quod attinet eccleſiaſticos ſcriptores, exhibito Chriſto poſteriores (ut nunc etiam, quos canonicos habuerint, ſive quibus, quòd in canone eſſent, teſtimonium illi, & per illos ipſa Eccleſia perhibuerit, videamus,) ſunt ſcriptores, quos diximus, & Patres appellare conſuevimus, vel Græci vel Latini, ſicut eccleſia quoque, quà maximas & potiſſimas ſuas partes, in Græcam & Latinam, ſive Orientalem & Occidentalem diſpeſci ſolet; inſtar veteris imperij vel orbis Romani, de quo Claudianus: *Conſpirant gemini frenis communibus orbes.* Bellò Gildonico. *Nam quamvis multæ barbaræ gentes* (verba ſunt ſancti Hilarij) Prol. in pſalmos. *Dei cognitionem ſecundum Apoſtolorum prædicationem, & manentium hodie illic eccleſiarum fidem adeptæ ſint; tamen ſpecialiter evangelica doctrina in Romani imperij ſede conſiſtit.* Græci alios, præter Hebræos & tribus iſtis claſſibus comprehenſos, nullos umquam admiſerunt, & ne hodie quidem admittunt. Quod ut reddatur manifeſtum, Græcos, quos catalogum texuiſſe, ſive libros canonicos Veteris teſtamenti recenſuiſſe conſtat, juxta ætatum ſeriem producemus & luſtrabimus.

XXV. Melito Sardium in Aſiâ epiſcopus ſecundo Eccleſiæ ſeculo floruit, & M. Aurelio Antonino Imperatori pro Chriſtianis apologiam obtulit, ut eſt apud Euſebium hiſtoriæ libro IV, cap. XXV. Oneſimo autem cupidè poſcenti è Scripturis excerpta de Chriſto & fide Chriſtianâ teſtimonia mittit, & κατὰ τὸ προοίμιον ἀρχόμενος τῶν ὁμολογουμένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης γραφῶν ποιεῖται κατάλογον, *Exorſus in proœmio, librorum Veteris teſtamenti communi conſenſu receptorum catalogum texit.* Subjicit Euſebius ipſa ad Oneſimum verba. *Quoniam*, inquit, *cupis ſcire accuratam veterum librorum ſeriem, quo ſint*

*nume-*

*numero & ordine*, τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων ἀκρίβειαν, πόσα τὸν ἀριθμὸν, καὶ ὁποῖα τὴν τάξιν εἶεν. —— *ſuſcepto in Orientem itinere ad loca profectus, in quibus iſta & prædicata ſunt & acta, accuratè qui Veteris teſtamenti ſint libri, inquiſivi, & ſubſcriptos tibi tranſmiſi, quorum hæc ſunt nomina: Moſis quinq; Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion, Jeſus Nave, Iudices, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Pſalmi Davidis, Salomonis parabolæ ſive ſapientia* (παροιμίαι, ἡ σοφία. *legendum* ἢ, atque inde vertit Rufinus, *Salomonis proverbia, quæ & Sapientia*) *Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Iob; Propheta Jeſaias, Jeremias, Duodecim uno libro comprehenſi, Daniel, Iezechiel, Eſdras.* Subjungi debebat *Eſther*: ſed affinitas nominum fecit, ut librarius omiſerit ſive quòd feſtinaret, ſive quòd utrumque pro eodem haberet, & alterutrum redundare exiſtimaret. Ex ipſis autem Melitonis verbis liquet, catalogum hunc conſenſu orientalium Eccleſiarum receptum & approbatum fuiſſe. Proverbia autem ab ipſo Sapientiam appellari non eſt quod quiſquam miretur, quum etiam poſt multa ſecula titulo Sapientiæ allegentur à Petro Lombardo, ſententiarum magiſtro, libro primo, diſtinct. 11, F.

XXVI. In tertium ſeculum incidit ætas Origenis, viri, ſi quiſquam alius, rerum, de quibus hic controvertitur, periti, & quos libros Eccleſia Veteris teſtamenti canonicos habuerit, indicare idonei. Procœmio igitur in Pſalmos, quod nobis itidem ſervavit opera

Hiſt. l. 6. cap. 19. & induſtria Euſebij, ἔκθησιν πεποίηται τοῦ τῶν ἱερῶν γραφῶν τῆς παλαιᾶς διαθήκης καταλόγου, ubi hujusmodi utitur verbis: οὐκ ἀγνοητέον (eadem habentur Philocaliæ cap tertio) εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσιν, ὅσος ὁ ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστί. *Non*

*oportet*

*oportet ignorare, canonicos libros, quemadmodum Hebræi tradunt, duos eſſe & viginti, quot etiam literarum apud ipſos ſunt elementa.* Mox eos enumerat, totidem videlicet, quot ſunt in codice Hebræo. Quum autem ſingulis ſua indat nomina non ſaltem Græca, ſed etiam Hebræa, non eſt mirum hæc à librarijs perperam deſcripta. Quorum culpâ in Euſebiano codice excidit liber duodecim Prophetarum, ſine quo ſibi non conſtat numerus duorum & viginti. Nicephorus Euſebium deſcripſit, & librarios paullò accuratiores nactus, *Duodecim Prophetarum librum Thereaſar* exhibet: uti etiam verſio à Rufino profecta. Conjungit autem Origenes Rutham cum Iudicibus: de Ieremia in hunc modum loquitur: ἱερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνὶ, Ἱερεμιά, *Jeremias cum Threnis & epiſtola unum eſt.* Repetito nomine Ieremiæ Hebræum vocabulum exprimere voluit. Epiſtola à Ieremia Ieroſolymis Babylonem ad deportatos miſſa habetur capitulo XXIX. Lib. 5. c. 16.

XXVII. Euſebio, cujus ætas in ſeculum quartum competit, ſervata Melitonis & Origenis teſtimonia debemus. Et quoniam ita recitat, ut probet, ipſum quoque cæteris teſtibus meritò accenſemus. Paria verò cum Melitone & Origene eum facere hinc etiam liquet, quòd ſcribit poſteriore libro Chronicorum, numero CIↄ IↄXXCIV: Ἕως μὲν οὖν Ἔσδρα καὶ Νεεμίου αἱ ἐνδιάθετοι Ἑβραϊκαὶ γραφαί. *Ad Eſdram & Nehemiam uſque hactenus canonicæ Hebraicæ ſcripturæ.* Et ad annum primum Seleuci juxta verſionem Hieronymi: *Maccabæorum hiſtoria Græcorum hinc ſupputat regnum: verùm hi libri inter divinas Scripturas non computantur.* Idem libro octavo ἀποδείξεως εὐαγγελικῆς negat ſe duces, Sub init. qui poſt Zorobabelem populo præfuerint, exactè & di-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſtinctè poſſe enumerare, τῷ μηδὲ φέρεσθαι θείαν βίβλον ἐξ ἐκείνου μέχρι τῶν τοῦ σωτῆρος καιρῶν, *quòd ab illo tempore uſque ad tempora Servatoris nullum exſtet ſacrum volumen.* Quotquot autem Eſdram, Nehemiam, Malachiam prophetarum ultimos, & unà cum eis prophetiam ceſſaſſe & exſpiraſſe ſtatuunt; ijdem quoque aliud ſtatuere nequeunt, quàm libros poſt illa tempora ſcriptos nec propheticos eſſe, nec ad conſortium ſacri canonis admitti poſſe. De Iudæis res nota eſt & manifeſta ex ijs, quæ è Ioſepho adducta. Ad eumdem modum Seder olam zuta, interprete Genebrardo: *Anno quinquageſimo ſecundo Medorum & Perſarum mortui ſunt Haggæus, Zacharias, Malachias. Quo tempore ceſſavit prophetia de Iſraële.* Vnde etiam ipſe Genebrardus ſecundo ſuæ Chronographiæ libro affirmat *Prophetas in Malachia ceſſaſſe.* Aben Ezra initio ſui in Malachiam commentarij: הוא סוף הנביאים *Is finis eſt Prophetarum,* כי במותו נפסקה הנבואה מישראל *quoniam in ejus morte deſtitit* ſive receſſit *prophetia ab Iſraële.* E Chriſtianis audivimus Euſebium: audiamus etiam plures. Theodoretus proœmio in Malachiam: Μωσῆς μὲν ὁ μέγας ὁ νομοθέτης πρῶτος ἡμῖν ἀνάγραπτα τὰ θεῖα καταλέλοιπε λόγια· ὁ δὲ θεσπέσιος Μαλαχίας μετὰ πάντας τοὺς προφητείαν συγγεγραφότας τὰ θεῖα θεσπίσματα συγγραφῇ παραδέδωκε. *Moſes quidem, magnus ille legiſlator, primus nobis divina eloquia ſcripto conſignata reliquit: admirandus verò Malachias poſt omnes, qui prophetiam conſcripſerunt, divina oracula literis mandavit.* Hinc Cornelius Ianſenius in Eccleſiaſtici LXIIX, II: *Malachias de Johanne baptiſta apertè vaticinatus eſt. Obſervandum* itaque, *quòd noviſſima omnium prophetiarum, quæ in canone apud Hebræos habentur, verba ſunt de Iohanne baptiſta; poſt quem*

*pro-*

*promiſſum nulla exſtat prophetia ſcripta ab aliquo propheta, qui canonicus habeatur, quouſque ille promiſſus veniret; à quo incipit ſcriptura Novi teſtamenti: ut hinc intelligere liceat mirabilem connexionem ſcripturæ Novi teſtamenti cum Prophetis.* Auguſtinns libro XVII de civitate Dei, cap. ultimo: *Toto illo tempore, quo redierunt de Babyloniâ, poſt Malachiam, Aggæum & Zachariam, qui tunc prophetaverunt, & Eſdram, non habuerunt prophetas uſque ad Salvatoris adventum, niſi alium Zachariam patrem Iohannis, & Eliſabet ejus uxorem, Chriſti nativitate jam proximâ; & eo jam nato, Simeonem ſenem & Annam viduam &c. Sed hanc iſtorum prophetiam Judæi reprobi non accipiunt: acceperunt autem, qui ex eis innumerabiles Evangelio crediderunt. — Malachiam verò, Aggæum, Zachariam, & Eſdram etiam Iudæi reprobi in auctoritatem canonicam receptos noviſſimos habent.* Quin ipſe primus Maccabæorum de ſtatu rerum poſt cæſum Iudam Maccabæum: *Facta eſt tribulatio magna in Iſraël, qualis non fuit ex die, quâ non eſt viſus propheta in Iſraël.* Ex quo autem non viſus eſt aliquis propheta, aut prophetico ſpiritu præditus, ex eo nullus canonicus liber ſcribi vel edi potuit. cap. 9. 27.

XXIIX. Sed nos ad Græcos redeamus; quorum è quarto ſeculo tot exſtant inſignia monumenta, quot ex alio nullo. Eminet inter cæteros Athanaſius, cujus operibus inſerta legitur Synopſis ſacræ ſcripturæ, quâ primùm libri enumerantur; deinde ſingulorum ſumma & περικοπὴ exponitur. Sub initium eos à Chriſtianis canonicos haberi, qui Hebræis tales ſint, agnoſcit & ſupponit. Πᾶσα γραφὴ ἡμῶν Χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστιν. οὐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. καὶ ἔστι τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης ταῦτα. *Omnis*

*noſtra, qui Chriſtiani ſumus, Scriptura divinitus eſt inſpirata. Libros autem habet non indefinitos, ſed omnino definitos, & certo canone comprehenſos. Et Veteris quidem teſtamenti ſunt iſti:* ac incipit enumerare. Quum enumeraſſet, ſubjicit, Ὅμου τὰ κανονιζόμενα τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία εἴκοσι δύο, ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι τῶν ἑβραίων. *Sunt in univerſum veteris teſtamenti libri canonici viginti duo, pares numero literis Hebræorum.* Hiſce tamen Eſtheræ librum non annumerat: nihilominus ex teſtimonio veterum ab Hebræis canonicum haberi annotat. *Sunt*, ait, *præter iſtos alij nonnulli Veteris teſtamenti libri, non quidem in canonem recepti, ſed qui tantùm catechumenis prælegúntur:* & recenſet libros Sapientiæ, Siracidæ, Eſtheræ, Iudithæ, Tobiæ. Maccebæorum non meminit, neque quando enumerat, neque quum ſummas & argumenta ſingulorum recitat. De Eſtheræ verò, ut diximus, refert κανονίζεται παρ' ἑβραίοις. Initium ejus hoc dicit eſſe: *Anno ſecundo, regnante Artaxerxe magno, primâ die menſis Niſan ſomnium vidit Mardochæus filius Iairi, qui filius Semei, & hic Kiſæi, è tribu Beniamin.* Hæc autem verba ſunt non Hebræi libri, ſed Græci qui adſutus eſt, & legitur hodie ſubjunctus textui genuino. Vbi in vulgatâ Latinâ adjecit & annotavit Hieronymus: *Quæ habentur in Hebræo, plenâ fide expreſſi. Hæc autem quæ ſequuntur, ſcripta reperi in editione vulgatâ, quæ Græcorum linguâ & literis continentur: & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur, quod juxta conſuetudinem noſtram obelo, id eſt, veru prænotavimus.* Et proximè ante verba ab Athanaſio producta: *Hoc quoque principium erat in editione vulgatâ, quod nec in Hebræo, nec apud ullum fertur interpretum.* Non eſt igitur improbabilis conjectura Sixti Senenſis, Bibliothecæ ſuæ libro primo

Cap. 10. & ſeqq.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

mo in hunc ſcribentis modum. *Accidit, ut propter has appendicum lacinias, hinc inde quorundam ſcriptorum temeritate inſertas, liber hic, quamvis Hebraicus, & Hebræis receptus, ſerò admodum apud Chriſtianos Canonicam auctoritatem receperit. unde nec ipſum Melito Sardenſis epiſcopus, nec Gregorius Nazianzenus inter ſacros libros enumerarunt: & Athanaſius de catalogo canonicorum voluminum tanquam nothum nominatim abjecit. quem denique concilium Carthaginienſe tertium inter ſacra volumina computavit.* Fallitur hic Sixtus; diu enim ante tertium Carthaginienſe concilium canonicis libris annumeravit Origenes, quem paullò antè produximus; annnmerarunt plures, quorum teſtimonia deinceps proferemus. Athanaſius ita abjecit. ut nihilominus teſtetur κανονίζεσθαι παρ' ἑβραίοις. Et quum canonem Hebræum fundamentum ponat canonis Chriſtiani, quid revera ſenſerit aut ſentire eum oportuerit, hinc eſt manifeſtum; undecumque tandem factum, ut in fraudem inductus in enumerando omiſerit. Qui verò Eſtheræ codicem alium, quàm vulgarem græcum, in quo cum genuino textu ſpuriæ adjectiones combinantur, non habuerunt, vix aliter judicare potuerunt, quàm librum eſſe apocryphum. Adjectiones enim cum genuinâ hiſtoriâ alicubi pugnant. Cui lubet videat id demonſtrantem Danielem Chamierium Panſtratiæ tomo primo, libro v, cap. vi. Apud Melitonem παρόραμα librarij eſſe exiſtimo: qualia nonnulla in priſcos libros à primis aut proximis exſcriptoribus invecta poſteriori-bus multis impoſuiſſe eruditi fatentur. Et hinc fortè, quòd Nazianzenus antiquum ejusmodi Melitonis exemplar præ oculis habens omiſit.

XXIX. Gregorius enim hic Nazianzenus itidem

canoni Chriſtiano tamquam fundamentum aut normam apponit numerum Hebræorum, carmine περὶ τῶν γνησίων βιβλίων τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, ubi hæc habet:

Ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύω καὶ εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.
*Fœderis antiqui viginti ſunt duo libri:*
*Et ſunt Hebræis literulæ totidem.*

Hos verſiculos enumerationi ſubjecit: præmiſit autem iſtos:

Ὄφρα δὲ μὴ ξείνησι νόον κλέπτοιο βίβλοισι,
(Πολλαὶ γὰρ τελέθουσι παρέγγραπτοι κακότητες)
Δέχνυσο τοῦτον ἐμεῖο τὸν ἔγκριτον ὦ φίλ, ἀριθμόν.
*Ne tua codicibus fallatur mens alienis,*
*(Namque adſcriptitij multi falſique vagantur)*
*Legitimum hunc habeas numerum à me Lector amice.*

Mox numerum ſive catalogum ſubijcit, Hebræo prorſus conſentaneum, niſi quòd, neſcio quo caſu vel occaſione, Eſtheram omiſit. Et hæc quidem ex Nazianzeno. De Athanaſio monemus, fragmento epiſtolæ ἑορταστικῆς, quam ut epiſcopus Alexandrinus de feſto Paſchæ, quemadmodum etiam fecit Cyrillus, ad alias ſcripſit eccleſias, catalogum ei, qui in Synopſi habetur, planè conſonum texere. Exorſus ait ſe enumeraturum τὰ
Tomo 2 κανονιζόμενα καὶ παραδοθέντα πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία.
Commel. Quum enumeraſſet, iſta ſubjungit: ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς
pag. 44. εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται. μηδεὶς τούτοις ἐπιβαλλέτω· μὴ δὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι. περὶ δὲ τούτων ὁ κύριος σαδδουκαίους μὲν ἐδυσώπει λέγων, πλανᾶσθε μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. τοῖς δὲ ἰουδαίοις παρῄνει, ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. *In his ſolis pietatis ſchola rectè annunciatur. nemo hiſce addat, nemo hinc auferat quid-*

*quidquam. De hiſce Dominus, quum Sadducæos confunderet, ait; Erratis neſcientes Scripturas: Iudæos autem exhortatus; Scrutamini Scripturas.*

XXX. Athanaſio & Nazianzeno adjungamus Cyrillum Ieroſolymitanum, qui itidem, ſicut illi faciunt, ad numerum viginti & duorum Hebræis ſacrum provocat; & librum Eſtheræ, quod illi non faciunt, diſertè annumerat. Locus eſt ſub finem catecheſeos τῶν φωτιζομένων quartæ: ex quo catalogum ipſum, qui jam ſatis notus eſt, non deſcribimus, ſed hæc tantùm, quæ ei præmittit. φιλομαθῶς ἐπίγνωθι παρὰ τῆς ἐκκλησίας, ποῖαι μέν εἰσιν αἱ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βίβλοι, ποῖαι δὲ τῆς καινῆς· καί μοι μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε. *Diſce ſtudioſè ab Eccleſia, quinam ſint Veteris teſtamenti libri, qui verò Novi; & nihil ex apocryphis legas.* Intelligit autem apocrypha ſequiora & reijcula, non Tobiæ, Iudithæ & cæteros hiſce jungi ſolitos libros, quos etiam interdum apocryphos dicimus, quamvis rectiùs Eccleſiaſtici appellentur. De quibus Athanaſius epiſtolâ paullò antè laudatâ: βιβλία οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον. *Libri non quidem in canonem relati, ſed à patribus ſive majoribus noſtris propoſiti, ut prælegantur iis, qui primùm accedunt, & ſimplicem pietatis rationem cupiunt edoceri.* Sed pergat Cyrillus: *Divinas*, inquit, *lege Scripturas, nempe Veteris teſtamenti libros viginti duos, quos ſeptuaginta duo interpretes tranſtulerunt.* Vbi obſervandum, etiamſi Cyrillus hic, Athanaſius alijque uſi fuerint non quidem ipſo Hebræo codice, ſed editione & verſione Græcâ, cui plerumque adjuncti erant operâ, ut videtur, Iudæorum Alexandrinorum libri iſti eccleſiaſtici, ut ita jun-

junctim haberentur præcipua ſcripta, quæ ante Chriſtum natum de pietate exarata græco ſermone exſtarent; nihilominus illos Hebræo canoni & numero viginti duorum tenaciter inhærere, & ab hiſce in divinæ auctoritatis arce collocatis reliquos accuratè ſecernere. Sed pergamus audire Cyrillum. *Lege*, inquit, *viginti duos libros* à ſeptuaginta duobus interpretibus translatos; *& nihil cum apocryphis habeto commune. Hos ſolos ſtudioſè meditare, quos etiam in eccleſiâ* μετὰ παῤῥησίας *cum certâ & ſecurâ fiduciâ*, quòd videlicet θεόπνευστοι ſint, *recitamus.* πολὺ σοῦ φρονιμώτεροι ἦσαν οἱ ἀπόστολοι, καὶ ἀρχαῖοι ἐπίσκοποι, οἱ τῆς ἐκκλησίας προστάται, οἱ ταύτας παραδόντες. σὺ οὖν τέκνον τῆς ἐκκλησίας ὢν, μὴ παραχάραττε τοὺς θεσμούς. *Multò prudentiores te erant apoſtoli, vetereſq; illi epiſcopi, eccleſiæ antiſtites qui hos tradiderunt. Tu ergo filius eccleſiæ quum ſis, ne leges inſtitutaque patrum evertas corrumpaſve.*

XXXI. Cyrillo proximus eſto Epiphanius, Salaminis ſive Conſtantiæ in Cypro epiſcopus, qui pariter, quemadmodum priores, Hebræis & numero viginti duorum acquieſcit. Verba ejus ſunt libro de ponderibus &
Num. 4. menſuris: *Habent Hebræi viginti duas literas, è quibus quinq; duplicantur Caph, Mem, Nun, Phi, & Aleph. Quâ ratione quum XXII libri numerentur, ſeptem ac viginti reperiuntur, quòd ex illis quinque geminentur: puta liber Ruth cum Iudicum libro conjungitur, & unus ab Hebræis cenſetur; primus Paralipomenon liber cum poſteriore conjungitur, & unum librum efficit. Item primus Regnorum* (aliàs Samuelis) *liber cum ſecundo; tertius cum quarto ſingulos libros conſtituunt.* Peractâ enumeratione concludit: ἐπληρώθησαν οὖν αἱ εἰκοσιδύο βίβλοι κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν εἰκοσιδύο στοιχείων παρ' ἑβραίοις. *Completi itaque ſunt viginti duo libri juxta numerum viginti duorum apud Hebræos*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*bræos elementorum.* Conformia legere eſt apud eumdem Epiphanium Hæreſibus V & LXXVI.

XXXII. Epiphanio σύγχρονος Iohannes Chryſoſtomus,

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

*Cujus ab ore ſoni dulces præ melle fluebant.*

Ille homiliâ quartâ in Geneſin: πᾶσαι αἱ θεῖοι βίβλοι τῆς παλαιᾶς διαθήκης τῇ ἑβραίων γλώττῃ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν συντεθειμέναι, καὶ τοῦτο πάντες ἂν ἡμῖν συνομολογήσαιεν. *Omnes divini libri veteris fœderis primitus Hebræâ linguâ ſcripti fuerunt; & hoc omnes nobiſcum fatentur.* Qui fatentur omnes divinos & genuinos Veteris teſtamenti libros primitus & ab ipſis ſuis auctoribus ſcriptos fuiſſe Hebræâ linguâ; illi etiam fatentur eos, qui Græcâ primùm prodierunt, non eſſe authenticos & legitimos antiqui fœderis libros.

XXXIII. Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum & Amphilochium Iconij epiſcopum, utpote coætaneos & populares è Cappadociâ ortos jungit Hieronymus epiſtolâ ad Magnum; aitque *neſciri, quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſeculi an ſcientiam Scripturarum.* Epiſt. 84. Amphilochij exſtat epiſtola Iambicis trimetris ad Seleucum ſcripta, quâ eum hortatur & inſtruit ad rectè capeſſenda ſtudia pietatis, virtutis & literarum tum exoticarum, tum ſacrarum. Ad has ubi venit, monet ſub titulo ſacrorum librorum nonnullos ſpurios circumferri, à quibus cavere oporteat. Sed malumus ipſa auctoris verba apponere.

Πλὴν ἀλλ' ἐκεῖνο προσμαθεῖν μάλιστά σοι
Προσῆκον. οὐχ ἅπασα βίβλος ἀσφαλὴς,
Ἡ σεμνὸν ὄνομα τῆς γραφῆς κεκτημένη.

Εἰσὶν γάρ, εἰσὶν ἔσθ' ὅτε ψευδώνυμοι
Βίβλοι τινὲς μὲν ἔμμεσοι, καὶ γείτονες
(ὡς ἄν τις εἴποι) τῶν ἀληθείας λόγων.
Αἱ δ' αὖ νόθοι τε καὶ λίαν ἐπισφαλεῖς,
Ὡς παράσημα καὶ νόθα νομίσματα,
Ἃ βασιλέως μὲν τὴν ἐπιγραφὴν φέρε,
Κίβδηλα δ' ἐστὶ, ταῖς ὕλαις δολούμενα.
Τούτων χάριν σοι τῶν θεοπνεύστων ἐρῶ
Βίβλων ἑκάστην, ὡς δ' ἂν εὐκρινῶς μάθῃς.
Τὰς τῆς παλαιᾶς πρῶτα διαθήκης ἐρῶ.

Ioachimus Zehnerus latinè tranſtulit, ut ſequitur:

*Quin maximè hoc quoque convenit te diſcere,*
*Non tutò cuivis eſſe credendum libro,*
*Qui Biblici prænomen auguſtum ferat.*
*Quandoque falsò nominati ſunt libri:*
*Quidam intermedij, vel propinqui terminis*
*(Vt ſic loquar) ſunt veritatis dogmati.*

Intelligit ſine dubio Tobiæ, Iudithæ & ſimiles, quos Eccleſiaſticos appellamus.

*Quidam ſpurij, periculoſiq; admodum,*
*Tamquam notha, ſive adulterina nomiſmata,*
*Inſcriptionem regis equidem habentia,*
*Sed materiæ ratione vitioſiſſima.*
*Vt ergo liquidò hos noris, tibi ſingulos*
*Divinitus inſpiratos numerabo libros,*
*Primumq; priſci fœderis ſcripta eloquar.*

Enumerat autem omnes, qui exſtant Hebræâ linguâ, & ab Hebræis ſive Iudæis recipiuntur; alios verò nullos. Quum ſubjunxiſſet recenſionem librorum Novi teſtamenti, tandem concludit:

--- --- οὗτος ἀψευδέστατος
Κάνων ἂν εἴη τῶν θεοπνεύστων γραφῶν.
— — *hic eſt voluminis*
*Divinitus dati canon certiſsimus.*

Non deſunt, qui epiſtolam illam Nazianzeno tribuant: ſed Amphilochij eſſe vero eſt ſimilius.

XXXIV. In hoc ipſum quartum ſeculum incidit ſynodus habita Laodiceæ, urbe Phrygiæ Pacatianæ, συγκροτηθεῖσα ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν τῆς Ἀσιανῆς, *congregata ex diverſis provinciis Aſiæ.* Tanti priſcis illis ſeculis facta eſt, ut canones ejus recepti fuerint in Codicem canonum Eccleſiæ univerſæ: ubi annus, quo habita, CCCLXIV annotatur. Baronius de eâ agit Appendice ad quartum tomum Annalium, & contendit habitam fuiſſe ante œcumenicam primam Nicænam, ſed argumentis infirmis. Agnoſcit autem eſſe *concilium antiquâ nobilitate percelebre, Græcorum ac Latinorum ſcriptis memoriæ commendatum.* Baronium ſequitur & exſcribit, ut ſolet, in Notis ſuis Severinus Binius. Hoc autem ipſum concilium canone ſuo ultimo, qui eſt in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ centeſimus ſexageſimus tertius, conſtituit ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης. *quòd non oportet in eccleſia legi pſalmos à privatis compoſitos, aut libros non canonicos, ſed ſolos Veteris Noviq; teſtamenti canonicos.*

XXXV. Nempe uſu aliquamdiu receptum fuerat, ut populo Chriſtiano in Eccleſiâ prælegerentur libri non tantùm illi, qui propriè & ſtrictè canonici erant, ſed etiam alij nonnulli, ab antiquitate ſuâ & utilitate precium ſortiti, facientes videlicet ad exercitium



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

pietatis & ædificationem morum tum monitis & præce-
Num. 36. ptis, tum exemplis. De qualibus Rufinus Expoſitione ſymboli: *Sciendum eſt, quòd & alij libri ſunt qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à majoribus appellati ſunt; ut eſt Sapientia Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filij Sirach, qui liber apud latinos hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, ſed ſcripturæ qualitas* (nempe quòd ἐκκλησιάζεται) *cognominata eſt. Ejuſdem ordinis eſt libellus Tobiæ, & Iudith, & Maccabæorum libri. In novo verò teſtamento libellus, qui dicitur Paſtoralis ſive Hermatis,* (*Hermæ* potiùs) *qui appellatur Duæ viæ, vel Iudicium Petri, quæ omnia legi quidem in eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò ſcripturas apocryphas nominarunt, quas in eccleſiis legi noluerunt.* Hieronymus præfatione in libros Salomonis: *Sicut Iudith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos in Canonicas ſcripturas non recipit, ſic & hæc duo volumina (Panareton Jeſu filij Sirach librum, & pſeudepigraphum, qui Sapientia Salomonis inſcribitur) legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Diſcimus hinc, quarto & quincto poſt natum Servatorem ſeculis libros, quos Eccleſia ad ſe non modò à Synagogâ ſed ab Apoſtolicâ etiam ætate delatos ſive derivatos habuerit, in triplici fuiſſe differentiâ: primo videlicet loco Canonicos & θεοπνεύστους, è quibus primariò & directè dogmata fidei confirmarentur; ſecundo Eccleſiaſticos, qui facerent ad ædificationem plebis & ei proinde prælegerentur; tertio Apocryphos, propter immixta falſa & erronea periculoſos aut perniciosos, atque ideo improbari & rejici dignos. Qui ſecundo vel intermedio ſunt loco, apud nonnullos interdum

terdum tertij ordinis nomenclaturam, rarò primi, per abuſum tamen, vel certè latum & improprium uſum, participant. Eccleſiaſticos autem hoſce diverſimodè recenſent. Neque enim ubique eadem conſuetudo; neque ſoli Tobiæ, Iudithæ & ſimiles ante natum Chriſtum ſcripti libri in eccleſijs legebantur, ſed alij etiam recentiores, ut ex Rufino conſtat. De Clementis Romani epiſtolâ ſcribit Euſebius: ταύτην ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις ἐπὶ τοῦ κοινοῦ δεδημοσιευμένην πάλαι τε καὶ καθ᾽ ἡμᾶς αὐτοὺς ἔγνωμεν. *Novimus hanc & olim & noſtra ætate in plurimis eccleſiis communiter legi ſolere.* Apud eumdem de eadem Clementis epiſtolâ teſtatur Dionyſius Corinthiorum epiſcopus, in ſuâ eccleſiâ & hanc & alteram antiquo more *admonitionis gratia* legi. Sic etiam Athanaſius epiſtolâ ἑορταστικῇ nonnullos libros prælegi ſcribit, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, interque eos διδαχὴν καλουμένην τῶν ἀποστόλων (neſcio an Canones Apoſtolicos dictos intelligat) καὶ τὸν Ποιμένα. Addit: Καὶ ὅμως, ἀγαπητοί, κἀκείνων κανονιζομένων καὶ τούτων ἀναγινωσκομένων οὐδαμοῦ τῶν ἀποκρύφων μνήμη. *Neque inter Canonicos, neque inter Eccleſiaſticos ullo modo memorantur Apocryphi*; quos hæreticis auctoribus imputat, conficientibus eos pro lubitu, & tempora præterita apponentibus, ut ſub antiquorum titulo venditent, & hoc prætextu ſimplices decipiant: ἵν᾽ ὡς παλαιὰ προφέροντες πρόφασιν ἔχωσιν ἀπατᾷν ἐκ τούτου τοὺς ἀκεραίους. Sic igitur etiam ex Athanaſio diſcrimen librorum Canonicorum, Eccleſiaſticorum & Apocryphorum pateſcit.

Hiſt. l. 3. cap. 12.

Lib. 4. c. 23.

Num. 30.

XXXVI. Quum autem inter eos, qui prælegerentur, ſive Eccleſiaſticos ſubinde complures irreperent (diverſi enim apud diverſas eccleſias in uſu eſſe cœperant)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

& nonnulli quoque parum probi; ea res occaſionem dedit canoni huic Laodiceno (ut ad eum redeat oratio) qui libros Veteris teſtamenti recenſens numero viginti & duorum inhæret, nec à ſuperioribus hac in parte diſcrepat. Ieremiam autem quum memorat, ita habet: Ἱερεμίας καὶ Βαρούχ, θρῆνοι καὶ ἐπιστολαί. Origenes, ut antea pa-
Num. 26. tuit, in hunc modum: *Jeremias cum threnis & epiſtola unum eſt.* Quum dicat unum eſſe, nullum eſt dubium, quin epiſtolam libro Ieremiæ inſertam, quæ capite XXIX occurrit, intelligat. Athanaſius autem fragmento epiſtolæ pridem productæ Baruch adjungit: Ἱερεμίας καὶ
Lib. 4. c. 12. σὺν αὐτῷ Βαρούχ, θρῆνοι καὶ ἐπιστολή. Sic etiam Cyrillus Ieroſolymitanus. Nempe Baruch apud Ieremiam celebris, ſuasque agit partes ſatis præclaras. Fuit videlicet
Num. 30. diſcipulus & ſcriba Ieremiæ, laborumque & perſequutionum ſocius. Quin ejus manu Ieremias ſcribi, & ore populo ſolenni die prælegi & annunciari ſuas prophetias voluit, cap. XXXVI: ut proinde non tantùm Ieremiæ, ſed etiam Baruchi poſſint haberi, & ſuo quodam modo utrique tribui. Abductus autem eſt unà cum Ieremiâ in Aegyptum, cap. XLIII, 6. Frater ejus videtur fuiſſe Seraia, munere in regiâ aliquo, quocumque tandem, functus, per quem à Sedechiâ rege Babylonem miſſum Ieremias ſuam de hac ipsâ urbe evertendâ prophetiam eò tranſmiſit, ibique legi fecit. Compone cap. LI, 59, cum cap. XXXII, 12. Hinc igitur exiſtimavero factum, ut nonnulli Origenem imitati Ieremiæ jungerent non tantùm Threnos & Epiſtolam, ſed etiam Baruch: aliud tamen nihil intelligerent, aut certè intelligere non deberent (poteſt enim fieri, ut aliqui parum rectè acceperint) quàm quod haberetur in ipſo Ieremiæ libro.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Nec aliter intellexiſſe potuit Bellarminus, quum ſcripſit *nec Concilia antiqua, neque Pontifices, neque Patres, qui catalogum librorum ſacrorum texunt, hujus prophetæ disertis verbis meminiſſe.* Falſum enim id eſſet, ſi concilium Laodicenum, Athanaſius & Cyrillus Ieroſolymitanus per Baruchum, quem memorant, non intellexiſſent aliquid Ieremiæ libro inditum, ſed librum alterum planè diſtinctum, qui hodie exſtat græcè, & ab eo, qui ex antiquâ quadam verſione latinâ ſupereſt, plurimùm diſcrepat. De quo Hieronymus præfatione in ſuos, quibus Ieremiam exponit, commentarios: *Libellum Baruch, qui vulgò editioni LXX copulatur, nec habetur apud Hebræos, & ψευδέπιγραφον epiſtolam Ieremiæ nequaquam cenſui diſſerendam.* E Pontificijs Iohannes Driedo diſertè negat *haberi in canone.* Caput certè primum hujus libelli ita eſt comparatum, ut à nemine poſſit capi. Dicitur à Barucho ſcriptus, & Iechoniæ populoque *habitanti in Babylonia ad flumen Sodi* prælectus eſſe *in anno quinto, in ſeptimo die menſis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jeruſalem, & ſuccenderunt eam igni.* Poſtquam autem capta eſt Ieruſalem & exuſta, Baruch unà cum Ieremia in Aegyptum fuit abreptus, Babylonem non eſt ductus, Ier. XLIII, 6. Quomodo itaque Babylone librum ſcribit & legit? Deinde poſt exuſtum templum non erat altare, non offerebantur ſacrificia: & hîc nihilominus Iudæi Babylonem abducti *miſerunt in Jeruſalem ad Ioakim filium Helciæ ſacerdotem, & ad ſacerdotes, & ad omnem populum, qui inventi ſunt cum eo in Jeruſalem, — & dixerunt; Ecce miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & tus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei noſtri.* Inde ad hunc locum Iohannes Maldonatus: *Hoc ante urbis vaſta-*

De verbo Dei l. 1. c. 8.

De eccleſ. ſcript. l. 1. cap. 1.

Verſ. 7.

Verſ. 10.

*vaſtationem accidiſſe manifeſtum eſt, quia adhuc templum & altare ſtabat; adhuc erant ſacerdotes in Jeruſalem; adhuc erant vaſa, quæ fecerat Sedecias, quum priora à Nabuchodonoſere ablata fuiſſent. Adde quòd ſi poſt urbis excidium hoc accidiſſet, non legiſſet Baruch librum in auribus Iechoniæ, ſed Sedeciæ, quum & Sedecias poſt excidium urbis Babylone eſſet, illiq́s potiùs liber eſſet legendus, quàm Iechoniæ.* Hæc Maldonatus. Quod igitur paullò antè & in ipſo initio libelli habetur, eum Babylone à Barucho ſcriptum & lectum eſſe *in tempore, quo ceperunt Chaldæi Ieruſalem, & ſuccenderunt igne;* id ita interpretatur Maldonatus, ut velit idem eſſe, ac ſi haberetur, *Sex annis antequam urbs & templum everterentur.* Quæ eſt violenta & literæ textus repugnant contorſio.

Verſ. 8. Porrò de eo, quod his ipſis immixtum legitur, *Quum Ioakim ſacerdos acciperet vaſa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in terram Iuda, vaſa argentea, quæ fecit Sedecias filius Ioſiæ rex Iuda;* de hoc, inquam, loco Maldonatus: *Locus eſt admodum difficilis, quòd nullo modo cum hiſtoriâ convenire poſſe videatur.* Nihil verò eſt adeo pugnans & abſurdum, ad quod conciliandum vel emolliendum non poſſit aliquid fingi, vel aliqua verba fundi. Quod tamen totum, ſi ad rigidam veri trutinam exigatur, examini ſuccumbit. Sed nos iſtis diſcutiendis hìc immorari non poſſumus. Satis eſt oſtendiſſe, quid ſibi voluerit Origenes, cum Ieremia Threnos & Epiſtolam conjungens; quid etiam poſt Origenem alij, Baruchum addentes: & quòd Baruchi libellus, eique

Cap. 6. ſub finem innexa epiſtola, quæ apud Hebræos non habentur, ψευδόγραφα ſint, ut loquitur Hieronymus, & minimè canonica. Epiſtola iſta ſub initium ſuum hæc habet; *Ingreſſi in Babylonem eritis ibi annis plurimis, & temporibus*

*poribus longis uſque ad generationes ſeptem*; quæ ſubſiſtere nullâ ratione poſſe, quocumque tamdem modo numerentur aut ſupputentur, manifeſtum eſt. Sed nos iſtis, ut dixi, immorari nolumus.

XXXVII. Vidimus hactenus ſcriptores eccleſiaſticos Græcos, qui ab initio eccleſiæ uſque in quinctum ſeculum libros canonicos Veteris teſtamenti, de quibus nunc tantùm agimus, enumerarunt, eorum catalogum texuerunt, aut de ijs teſtimonium perhibuerunt. Patuit autem Canoni Hebræorum omnes inhærere, & non alios genuinos, quàm eo comprehenſos, agnoſcere. Non eſt operæ precium conſtitutiones κιβδήλους, quæ Apoſtolicæ dicuntur, & ſub nomine Clementis Romani exſtant, adducere. Libro quidem ſecundo, cap. LVII de more & modo in eccleſiâ legendi nonnihil habetur: ſed libri nulli, niſi canonici, memorantur. Nec juvat canonibus, qui Apoſtolorum nomen præferunt, inhærere. Exiſtimo autem ſicut ſub ipſa Eccleſiæ Chriſtianæ initia Apoſtolorum doctrina ad ſalutem neceſſaria brevi ſymbolo, Apoſtolico appellato, fuit comprehenſa, & paſſim inculcata; ita quæ diſciplinam Apoſtolorum temporibus uſitatam concernerent, canonibus nonnullis fuiſſe incluſa, quibus lapſu temporum alia atque alia acceſſerint, priſtino quidem titulo retento, ſed non puritate. Vltimus eorum recenſet βιβλία, quæ debeant eſſe πᾶσι κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς σεβάσμια καὶ ἅγια. Veteri autem teſtamento immiſcet tres libros Maccabæorum; & enumeratis omnibus ſubjungit, *Inſuper & extra hos addiſcenda tradatur adoleſcentibus veſtris Sapientia eruditiſsimi Sirach.* Novi teſtamenti libris jungit *epiſtolas duas Clementis*: quas olim in eccleſijs prælectas

fuiſſe ſuprà eſt oſtenſum. Nam ſi de lectione, quæ ad ædificationem populi in eccleſiâ fiat, agatur, certum eſt admiſſa fuiſſe alia quoque ſcripta præter verè canonica; & non minùs in occidentali, quàm in orientali eccleſiâ; neque minùs in Pontificiâ, quàm in ſincerioribus alijs. Non lubet idipſum modò confirmare alio teſtimonio, quàm Benedicti Pererij, è commentarijs in

Lib. 16 ſub initium. Danielem depromto. *Non ſum neſcius*, inquit, *multa recitari publicè in eccleſiaſticis precationibus, aliisq; ceremoniis, quin etiam in ipſo Miſſæ ſacrificio peragendo, quæ ut vera eſſe exiſtimare convenit, ita liquet ea ex ſacris canonicis ſcripturis non eſſe depromta.*

XXXIIX. Quin librum à veteribus, vel ſub Scripturæ titulo, citari, id eum non facit ilico cenſeri canonicum. Irenæus apud Euſebium hiſtoriæ libro v, cap. IIX: Καλῶς οὖν εἶπεν ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα, Πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ τὰ ἑξῆς. Leguntur iſta in Irenæi libro IV, cap. XXXVII; & reddidit Vetus Irenæi interpres hiſce verbis: *Bene pronunciavit Scriptura quæ dicit, Primò omnium crede quoniam unus eſt Deus, qui omnia conſtituit & conſummavit, & fecit ex eo quod non erat, ut eſſent omnia, omnium capax, & qui à nemine capiatur.* Hæc ipſa profert Athanaſius epiſtolâ pro decretis Nicænæ ſynodi apologeticâ; & præmittit: Ἐν

Tomo I Commel. pag 414. τῷ Ποιμένι γέγραπται· ἐπειδὴ καὶ τοῦτο καίτοι μὴ ὂν ἐκ τοῦ κανόνος, προφέρουσι. *In Paſtore ſcriptum eſt: num ex hoc etiam, quamvis liber non ſit in canone, allegationes faciunt.* Origenes in

Cap. 16, 14. epiſtolam ad Romanos, ubi Apoſtolus Hermam quemdam ſalutari jubet, *Puto*, inquit, *quod Hermas iſte ſit ſcriptor libelli illius, qui Paſtor appellatur, quæ ſcriptura mihi valde utilis videtur, & ut puto divinitus inſpirata.* Quæ ad eum-

dem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

dem Apoſtoli locum deſcripſit Sedulius. Dicitur au-
tem hic liber, ut interdum etiam alij, divinus aut divini-
tus inſpiratus eâ ratione, quâ *omnis donatio bona, & omne* Iac.1,17.
*integrum donum eſt supernè, deſcendens à Patre luminum.*
Hieronymus libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis: Her-
mam, *cujus Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens meminit,* Cap.10.
*aſſerunt auctorem libri, qui appellatur Paſtor, quiq; apud quaſ-*
*dam Græciæ eccleſias etiam publicè legitur. Revera utilis liber;*
*multiq; de eo ſcriptorum veterum uſurpaverunt teſtimonia: ſed*
*apud Latinos penè ignotus eſt.* Hæc de Paſtore Hermæ.
In ſynodo Nicænâ, ſicut de eâ commentatus Gelaſius
Cyzicenus memoriæ mandavit, diſputarunt Epiſcopi Lib,2.c,18
catholici contra philoſophum Arianum, & inter cætera
ſic loquuntur: Τὰ ἐκ τῆς γραφῆς λέξωμεν. μέλλων ὁ προ-
φήτης Μωσῆς ἐξιέναι τὸν βίον, ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ ἀναλήψεως
Μωσέως, προσκαλεσάμενος Ἰησοῦν υἱὸν Ναυῆ. *Quæ in Scriptu-*
*râ ſunt proferamus. Exiturus è vitâ propheta Moſes, ſicut*
*ſcriptum eſt in libro Adſumtionis Moſis, quum vocaſſet ad ſe*
*Ioſuam filium Nave, dixit &c.* Sanctus Ambroſius non-
nulla ex Quarto Eſdræ producturus Scripturæ ea impu-
tat. *Animarum,* inquit, *ſuperiora eſſe habitacula, Scripturæ*
*teſtimoniis valde probatur. Siquidem & in Eſdræ libris legi-*
*mus: Quia quum venerit judicij dies, reddet terra defunctorum*
*corpora, & pulvis reddet eas, quæ in tumulis requieſcunt, reli-*
*quias mortuorum. Et habitacula, inquit, reddent animas, quæ*
*his commendatæ ſunt, & revelabitur altiſſimus ſuper ſedem ju-*
*dicij.* Rurſus: *Denique & Scriptura habitacula illa animarum*
*promtuaria nuncupavit: quæ occurrens querelæ humanæ, eò quòd*
*juſti qui præceſſerunt videantur uſque ad judicij diem, per plu-*
*rimum ſcilicet temporis, debitâ ſibi remuneratione fraudari, mi-*
*rabiliter ait coronæ eſſe ſimilem illum judicij diem, in quo ſicut*

 non

*non noviſſimorum tarditas, ſic nec priorum velocitas. Coronæ enim dies exſpectatur ab omnibus, ut intra eum diem & victi erubeſcant, & victores palmam adipiſcantur victoriæ. Illud quoque non reliquit occultum, quòd ſuperiores videantur, qui antè generati ſunt, infirmiores qui poſtea. Comparavit enim utero mulieris partus hujus ſeculi: quoniam fortiores ſunt qui in virtute juventutis nati ſunt, infirmiores qui tempore ſenectutis.* Hæc leguntur apud Ambroſium libro de Bono mortis, cap. x: quæ autem allegantur, occurrunt libro quarto Eſdræ, priora quidem cap. VII, 32 & 33: poſteriora verò cap. V, 37, 42, 52, 53. Ex quibus omnibus manifeſtum evadit, librum propterea non haberi poſſe canonicum, quia à veteribus, vel cum elogio Scripturæ, citetur; aut etiam ipſe ſive ex ipſo aliquid in nonnullis eccleſijs publicè legatur. Vtrumque teſtimonio Benedicti Pererij è xv in Danielem commentario iterum confirmabimus. Ne miretur lector, ait, *me uſum eſſe ſententiis libri quarti Eſdræ, qui non modò non eſt canonicus, verùm etiam ut apocryphus à Patribus rejectus eſt. Equidem ſequutus in hoc ſum divum Ambroſium, qui in libro de bono mortis, eum ipſum locum Eſdræ, quem nunc memoravi, ſub nomine Eſdræ, & cum magnâ laude ſententiæ, ad confirmandam fidei noſtræ doctrinam, quæ eſt de reſurrectione mortuorum, adhibuit. Quin idem in Epiſtolâ vigeſimâ primâ, quam ſcripſit ad Horontianum, ſuadet, librum quartum Eſdræ legendum eſſe, quòd in ipſo anima cæleſtis eſſe naturæ demonſtretur, & philoſophorum nugæ de ipſius ſubſtantiâ confutentur. Sed quid ego ejus libri Ambroſium, Cyprianum, alióſve Patres probatores & laudatores memorem, quum ejus libri ſententias aliquot etiam Catholica eccleſia in ſacroſanctæ Miſſæ myſterio, & in publicis ſuis precationibus uſurpet? Siquidem per ſingulos annos in feriâ ter-*

*tiâ*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*tiâ Pentecoſtes Miſſam orditur ab eâ ſententiâ, quæ in II capite libri quarti Eſdræ legitur: Accipite jucunditatem gloriæ veſtræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cæleſtia regna vocavit. Et ex eodem capite in ſolennitatibus martyrum decantat illud: Modò coronantur, & accipiunt palmam.* Et hæc in occaſione hîc interſerere libuit.

XXXIX. Sicut autem antea diximus, Græcos ſcriptores, qui primis eccleſiæ ſeculis uſque in quinctum de Veteris teſtamenti libris canonicis teſtimonium perhibuerunt, hactenus produximus, Melitonem videlicet, Origenem, Euſebium, Athanaſium, Cyrillum Ieroſolymitanum, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Amphilochium Iconienſem, & denique magnæ ut antiquitatis, ita quoque auctoritatis, ſynodum Laodicenam. Omnes intra numerum XXII conſiſtunt, atque adeo Hebræorum canoni acquieſcunt, & libros qui poſt ætatem ultimorum Prophetarum editi fuerunt, aut etiam Hebræâ linguâ ſcripti non ſunt, unanimiter excludunt & rejiciunt. E ſubſequentibus ſeculis non exſtant totidem, qui catalogum texuerint: eos tamen, quorum copia eſt, ſubjiciemus. Leontius, Scholaſticus vel orator ſive advocatus Byzantinus, ſeculo ſexto vixit, & tandem in laurâ ſive cœnobio ſancti Sabæ prope Ieroſolymam monachum egit. Scribens de ſectis, actione ſecundâ, *Prius,* inquit, *quàm eas attingamus, libros ab eccleſiâ receptos recenſeamus. Eorum igitur alij ſcripturæ veteris ſunt, alij novæ. Veterem vocamus eam, quæ ante Chriſti adventum edita fuit; novam, quæ poſt adventum. Veteris libri ſunt XXII, partim hiſtorici, partim prophetici, partim parænetici, partim ad pſallendum facti.* Quum & hos, & qui ad Novum teſtamentum pertinent, recenſuiſſet, ſubjicit,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Ταῦτα ἐστὶ τὰ κανονιζόμενα βιβλία ἐν ἐκκλησίᾳ καὶ παλαιᾷ καὶ νέᾳ. ὧν τὰ παλαιὰ πάντα δέχονται οἱ ἑβραῖοι. *Hi ſunt libri in canonem recepti in eccleſia tum vetere, tum novâ: è quibus omnes illos priſcos Hebræi recipiunt.*

XL. Iohannis Damaſceni ætas incidit in ſeculum octavum. Inter ejus ſcripta eminent libri quatuor de fide orthodoxâ, *in quibus ipſe primus univerſam Theologiam recto ordine comprehendit*, ut aſſerit Bellarminus. Libro de ſcriptor. Ante eum idipſum aſſeruerat Iacobus Billius Prunæus, qui libros illos novâ verſione dignatus eſt. Sic enim loquitur præfatione toti operi præfixâ: *Illud quidem negari non poteſt, eum primum exſtitiſſe, qui ea, quæ priùs fusè ac liberè diſputari ſolebant, in unum corpus coëgerit, remq́ Theologicam viâ & ratione, longeq́ commodiori ordine tradiderit. Hoc enim ipſe apud Græcos primus præſtitit, quod multò pòſt apud Latinos Petrus Lombardus.* De numero librorum canonicorum agit libro IV, cap. XIIX; & veſtigia majorum ſuorum premit, & canoni priſco Hebræo inhæret. Ἰστέον, ὡς εἴκοσι καὶ δύο βίβλοι εἰσὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης κατὰ τὰ στοιχεῖα τῆς ἑβραΐδος φωνῆς. Apponemus verſionem Billij: *Sciendum eſt duos & viginti libros eſſe Veteris teſtamenti, totidem nempe quot Hebraicæ linguæ elementa. Hebræis enim duo & viginti elementa ſunt: ex quibus quinque duplicantur, atque ita ſeptem & viginti fiunt. Duplex enim eſt littera Caph, & Mem, & Nun, & Phe, & Sade. Quo fit, ut libri quoque eodem modo duo quidem & viginti numerentur, cæterùm ſeptem & viginti reperiantur, quinque videlicet ex ipſis duplicatis. Siquidem liber Ruth unà cum Iudicum libro copulatur, atque apud Hebræos pro uno libro recenſetur.* Cætera nihil opus eſt adſcribi. Tandem ſubjungit: Πανάρετος *autem (quaſi dicas, omni virtutis genere refertus) hoc eſt Sapientia Salomonis,*

*monis, & Sapientia Ieſu (quam à Sirachi patre Hebraicâ linguâ editam ipſius nepos ac Sirachi filius poſtea in Græcum convertit) tametſi alioqui præclari & elegantes libri ſint, non tamen aliis adnumerantur, neque in arcâ ſiti erant.* ἐνάρετοι μὲν καὶ καλαὶ, ἀλλ᾽ οὐκ ἀριθμοῦνται, οὐδὲ ἔκειντο ἐν τῇ κιβωτῷ. Qui hæc comparaverit cum ijs, quæ docet eadem de re Epiphanius libro περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, facilè animadvertet illum præ oculis hunc habuiſſe. Num. 4. Ductu itaque Damaſceni tolli poteſt mendum, quod eſt apud Epiphanium. Καὶ αὗται (Sapientia Salomonis & Sapientia Siracidæ) χρήσιμοι μέν εἰσι, καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ᾽ εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. διὸ δὲ ἐν τῷ ἀαρὼν ἀνετέθησαν, οὔ τε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. Excidit negatio, & ſcribi oportet: διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀρὼν ἀνετέθησαν, τουτέστι ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. *Ideo nec in aron, hoc eſt, in arcâ fœderis, ponebantur.* In quo etiam ipſo hallucinatus eſt Epiphanius. Neque enim in arcâ fœderis quidquam poſitum erat præter tabulas fœderis, ſive *duas illas tabulas lapideas, quas collocaverat ibi Moſes in Horebo*, Exodi XL, 20; I Reg. IIX, 9; II Chron. V, 10: neque exuſto templo priore ſupererat in poſteriore arca fœderis. Scribit tamen & Auguſtinus, *canonem Scripturarum ſervatum eſſe in templo Hebræi populi ſuccedentium diligentiâ ſacerdotum.* Lib. 15 de C. D. c. 23. Quod de tempore poſt digeſtum ab Eſdra & ultimis prophetis canonem vero eſt ſimillimum. *Armarium Iudaicum* videtur appellare Tertullianus libro de habitu muliebri, cap. 11. Sed hoc aliud ab arcâ fœderis.

XLI. Legit Photius, ut ſub initium ſuæ Bibliothecæ, codice ſtatim ſecundo, indicium facit, *Inſtructionem in Sacram ſcripturam*, à quodam Adriano ſcriptam. Ἀνεγνώσθη Ἀδριανοῦ εἰσαγωγὴ τῆς γραφῆς, χρήσιμος

τοῖς

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

τοῖς εἰσαγομένοις ἡ βίβλος. *Vtilis eſt liber Scripturæ ſtudia primùm aggreſſis.* Eum poſt initium hujus ſeculi edidit
An. 1602. David Hœſchelius Auguſtæ Vindelicorum. Quis fuerit Adrianus iſte, non conſtat : nec alicubi ordine canonicos libros recenſet. Sed quum in rem ſuam plurima, imò propè innumera Scripturæ dicta & teſtimonia adferat, nullum tamen è libris illis controverſis ſive eccleſiaſticis producit : unde conſtat ab eo non habitos tamquam partem Canonicæ ſcripturæ. Quum autem à Photio lecta fuerit hæc Iſagoge, ſeptimo vel octavo ſeculo non poterit eſſe inferior.

XLII. Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani ætas in nonum ſeculum incidit. Ejus Chronographiam olim latinè vertit Anaſtaſius Bibliothecarius, ſuperiore autem ſeculo Ioachimus Camerarius, ediditque unà cum luculentis appendicibus ſive commentarijs; poſt eum Antonius Contius in capita diſtinxit & additis Notis illuſtravit, inſertam Bibliothecæ Patrum Pariſienſi : Græcam Ioſephus Scaliger Chronico Euſebij ſubjunxit; cujus in fine appáret catalogus librorum primò canonicorum, deinde ἀντιλεγομένων, tandem apocryphorum. Καὶ ὅσαι, inquit, εἰσὶ θεῖαι γραφαὶ ἐκκλησιαζόμεναι καὶ κεκανονισμέναι. Quum enumeraſſet, ſubdit, Ὁμοῦ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία κβʹ. Videtur præ oculis habuiſſe Athanaſium : Eſtheram enim inter ἀντιλεγόμενα ponit; & Baruchum à Ieremia ſeparat. Idem accidit Nicephoro Calliſto Xanthopulo, hiſtorico eccleſiaſtico ſequioris & declinantis ævi, ſatis noto, ſed parum commendato. Nam hic quoque Eſtheram Iudithæ & Tobiæ jungit. Exſtant videlicet ejus de numero ſacrorum librorum verſus jambici, quorum hi ſunt primi :

Θείας

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Θείας γραφῆς μάνθανε νῦν τὰ βιβλία,
Τῆς μὲν παλαιᾶς εἰσὶν εἴκοσι δύο.

*Nunc diſce Scripturæ libri qui ſint ſacræ,*
*Antiqua viginti & duos ſibi vindicat.*

Nempe quemadmodum priſci, ita quoque hi recentiores numero XXII inhærent, & canonem Eccleſiæ Chriſtianæ non alium, quàm qui veteris Iudaicæ fuit, agnoſcunt. Majores itaque ſuos, quorum aliàs reverentes admodum ſunt, ſequuntur, atque adeo eumdem, quem illi, canonem in hunc uſque diem ſervant & amplectuntur, ſicut vivâ voce etiam confirmant, qui ab illis ad nos interdum veniunt.

XLIII. Expenſis Græcæ eccleſiæ teſtimonijs, quotquot haberi potuerunt, ſubdamus ſuffragia Latinæ eccleſiæ. Et quidem à Græcâ quomodo diſſentiat Latina, quum Eccleſia, quanta per orbem terrarum diffuſa eſt, una ſit catholica & Apoſtolica eccleſia? Omnium autem maximè una fuit, priuſquam pernicioſa ſchiſmata eam invaderent, & orientem ab occidente avellerent.
Primus teſtis eſto Tertullianus, qui libro carminum con- Cap. 7.
tra Marcionem quarto viginti quatuor libros numerat.
Quomodo autem viginti duo à nonnullis extendantur, Num. 18.
ut ſint XXIV, ſuperiùs eſt oſtenſum. Alludit videlicet Tertulliauus ad XXIV ſeniores, & ad quatuor animalia, quæ *ſingula habebant ſcnas alas in circuitu*, ſancto Iohanni viſa Apocal. IV, 8. Hinc ille:

*Aſt quater alæ ſex, veteris ptæconia verbi,*
*Teſtificantis ea, quæ poſtea facta docemur:*
*His alis volitant cœleſtia verba per orbem;*
*His etiam Chriſti ſanguis contectus habetur,*
*Obſcurè vatum præſago dictus ab ore.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*Alarum numerus antiqua volumina ſignat,*
*Eſſe ſatis certa viginti quatuor iſta,*
*Quæ Domini cecinere vias, & tempora pacis.*

XLIV. E quarto ſeculo habemus Hilarium, qui Prologo explanationum in pſalmos in hunc ſcribit modnm: *In viginti duos libros lex teſtamenti veteris deputatur; ut cum literarum Hebræi ſermonis numero convenirent. Qui ita ſecundum traditiones veterum deputantur, ut Moſi ſint libri quinque; Ieſu Nave ſextus; Iudicum & Ruth, ſeptimus; primus & ſecundus Regnorum, in octavum; tertius & quartus in nonum; Paralipomenon duo, in decimum ſint; ſermones dierum Eſdræ, in undecimum; liber pſalmorum, in duodecimum; Salomonis proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, in tertium decimum, & quartum decimum, & quintum decimum; duodecim autem prophetæ, in ſextum decimum; Eſaias deinde & Hieremias cum lamentatione & epiſtolâ, ſed & Daniel, & Ezechiel, & Job, & Heſter, viginti & duûm librorum numerum conſumment.*

XLV. Confinia utriuſque ſeculi quarti & quincti occupant Hieronymus & Rufinus, aliquando malè concordes, ſed in re, de quâ modò agimus, planè ὁμόψηφοι. Hieronymi præfatio in libros Regum vocari ſolet *Prologus galeatus*; & in frontiſpicio Bibliorum Latinorum poni. Sic enim Hieronymus ipſe: *Hic prologus, Scripturarum quaſi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire poteſt, ut ſcire valeamus, quidquid extra hos eſt inter apocrypha eſſe ponendum.* Ad quæ verba Guido ſcholiaſtes: *Hic prologus defendit Sacram ſcripturam contra illos, qui inducunt apocrypha pro hagiographis.* Notum autem eſt cum Hebræo canone & numero viginti duorum prorſus convenire, & quidquid extra eum eſt inter



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ter apocrypha, ut modò audivimus, ponere. Et quia, ut diximus, editionibus Bibliorum latinis præmitti ſolet, nihil opus eſt hic illum deſcribere. Adjungitur epiſtola ad Paulinum, cujus initium, *Frater Ambroſius*; paria faciens cum prologo galeato. Hic itaque prologus & hæc epiſtola quoniam ab aliquot jam ſeculis cum Latinis Biblijs tum calamo, tum typo deſcriptis conjunguntur, & à Latinis commentatoribus approbantur, de Latinæ eccleſiæ in Hieronymi ſententiam conſenſu luculentum teſtimonium perhibent.

XLVI. Objicies fortè, Hieronymum ipſum alijs præfationibus, itidem jungi ſolitis, aliter ſentire. Nempe in Tobiam ad Chromatium & Heliodorum præfatus hæc habet: *Hebræi librum Tobiæ de catalogo divinarum ſcripturarum ſecantes iis, quæ Hagiographa memorant, mancipa-runt.* Et præfatione in librum Iudith: *Apud Hebræos inter Hagiographa legitur; cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur.* —— *Sed quia hunc librum ſynodus Nicæna in numero Sanctarum ſcripturarum legitur computaſſe, — huic unam lucubratiunculam dedi, magis ſenſum è ſenſu, quàm ex verbo verbum transferens.* Haut itaque dignatus fuit verſione multùm operosâ vel admodum accuratâ. Nicæna verò ſynodus in numero ſanctarum ſcripturarum computavit, non quòd catalogum illarum texuerit, eique inſeruerit, (nihil enim tale factum ſatis conſtat) ſed quòd ex eâ aliquid ſub elogio Scripturæ produxerit. Quâ de re diximus numero XXXIIX. Ad cætera reſpondebimus verbis non noſtris, ſed ejus, qui præfatus eſt in Biblia unà cum Gloſſis interlineari & Ordinariâ, Commentario ſive Poſtillâ, ut vocant, Lirani, & Additionibus Pauli Burgenſis, Repliciſque Mat-

An. 1506. & ſeqq. thiæ Doringi, Baſileæ poſt initium ſuperioris ſeculi edita. Sic autem ille: *Neminem moveat quod in Iudith & Tobiæ prologis dicitur, quòd apud Hebræos inter Hagiographa leguntur; quia manifeſtus error eſt; & Apocrypha non Hagiographa eſt legendum. Qui error in omnibus quos viderim codicibus invenitur: & inolevit (ut puto) ex pietate & devotione exſcribentium, qui devotiſſimas hiſtorias horrebant annumerare inter Apocrypha. Nam quòd hic error multis retrò annis codices occupaverit, oſtendit Magiſter* hiſtoriæ ſcholaſticæ Petrus Comeſtor *in hiſtoriâ Iudith, ubi dicit: Hic liber apud Chaldæos inter hiſtorias computatur; & apud Hebræos inter apocrypha: quod dicit Hieronymus in prologo, qui ſic incipit, Viginti & duas literas. Si ergo alicubi in prologo ſuper Iudith legitur inter Hagiographa, vitium ſcriptoris eſt.* —— *Nam quum Hieronymus in prologo galeato poſt enumerationem canonicorum librorum dicat; Hic prologus ſcripturarum quaſi galeatum principium omnibus libris, quos de hebræo vertimus in latinum, convenire poteſt, ut ſcire valeamus quicquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur Sapientia quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Jeſu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Paſtor non ſunt in canone; quomodo credendum eſt illum poſtea in illis prologis ſcripſiſſe* INTER HAGIOGRAPHA, *& ſibiipſi contradicere? Si quis præterea libratiori examine Hieronymi verba in dictis prologis perpenderit, animadvertet illum ſcripſiſſe* APOCRYPHA, *non* HAGIOGRAPHA. *Dicit enim in prologo Tobiæ: Exigitis ut librum Chaldæo ſermone conſcriptum ad latinum ſtilum traham, librum utique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum ſcripturarum ſecantes his, quæ Apocrypha memorant, manciparunt. In Iudith autem ait: Apud Hebræos liber Iudith inter Apocrypha legitur; cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt*

*minus idonea judicatur. Cum itaque dicat Hebræos ſecare Tobiam de catalogo divinarum ſcripturarum, & Iudith auctoritatem minus idoneam judicari; ſi inter Hagiographa numeraret, & non inter Apocrypha, contraria videretur in eodem loco ſcripſiſſe. Sed, ut dixi, ſcriptores hoc nomen* APOCRYPHA *horrentes, devotione ac pietate quadam rejecto* APOCRYPHA, HAGIOGRAPHA *ſcripſerunt.* Quis præfationis hujus ſit auctor, mihi non conſtat. Certè Liranus non eſt, ut quidam exiſtimant: meminit enim *Bibliorum impreſſorum*, quæ tempore Lirani nulla erant. Cum illo autem convenit & conſentit Leander de S. Martino Benedictinus, qui in noviſſimas, quæ noſtris diebus Duaci & Antverpiæ prodierunt, Bibliorum cum iſtis, quas diximus, Gloſſis & Poſtillâ Lirani editiones præfatus eſt, & Prologis Hieronymi ſuas expoſitiones, extruſis veteribus, quæ Guidonis Franciſcani nomen præferunt, adjecit. Scribit enim ad Prologum galeatum; *Quod dicit* Hieronymus *aliquoties, hos libros ab Hebræis inter hagiographas ſcripturas collocari; exiſtimo loca illa eſſe corrupta, & vocem HAGIOGRAPHA pro apocryphis poni.* Non igitur eſt, quod dicat Ioſephus Scaliger; *Pugnantia ſcribit doctus ille Scripturæ interpres.* Miror autem Scaligerum hîc ſe torſiſſe, eique de mendo non ſuboluiſſe. Animadv. Euſeb. num. 1487.

XLVII. Vnum adhuc addimus. Scripſerat Cæſar Baronius Annalium tomo tertio, in anno CCCXXV, numero CLVII, quæ hîc apponimus. *Cæterùm Nicænos canones aliquod paſſos eſſe naufragium, tabulæ quæ hinc inde diſperſæ reperiuntur, manifeſtè ſignificant. Quis neget, imò quis auctoritate S. Hieronymi non affirmet, atque tutò confirmet, in eadem magna ſynodo de divinis ſcripturis authenticis editum*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*eſſe canonem? Ipſe enim ſic præfatur in Iudith: Apud Hebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur &c. Nemo igitur inficias ire poterit, ejusmodi canonem, quo libri canonici numerati erant (neſcio quo caſu) penitus excidiſſe.* Hæc tum Baronius. At poſtea re rectiùs expensâ in appendice tomo decimo adjectâ (habetur in Colonienſi editione anni CIↃ IↃ CIII: video enim editiones variare) ſententiam mutat & emendat; & prioribus, quæ recitata ſunt, ſubjicit: *Hæc quantumlibet jure dici poſſe videantur, tamen conſiderando, quòd qui poſt Nicænum concilium ſcripti reperiuntur canones ſacrorum librorum catalogum continentes, ut à concilio Laodiceno, ſive à Patribus, ut Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Amphilochio, vel aliis, in illis liber Iudith inter Hagiographa non numeretur; haud affirmandum omnino exiſtimarem, canonem de libris ſacris ſtatutum eſſe à Nicæno concilio, à quo neminem auſum fuiſſe recedere jure debeat exiſtimari: ſed non ex canone de ſacris libris confecto id aſſeruiſſe S. Hieronymum, verùm potius ex Actis ejus, in quibus obiter citatus idem liber inventus fuerit.* Hactenus rectè: quæ ſequuntur ſubſiſtere nequeunt. *Niſi dixerimus, librum, quem apud Occidentales in Canone ſacrorum librorum invenerit cum aliis Hagiographis annumeratum, exiſtimaverit ex Nicæni Concilii fonte manaſſe.* Quis enim in occidentali eccleſiâ canon Hieronymo antiquior, in quo Hagiographis annumeratum invenerit librum Iudith? Sanctus igitur Hieronymus ſibi conſtat; & ex eo liquet teſtimonium & ſententia Eccleſiæ occidentalis, nempe quemadmodum ipſe loquitur præfatione in Eſdram & Nehemiam, *quæ non habentur apud Hebræos, nec de XXIV ſenibus ſunt*, à numero librorum canonicorum *procul abjicienda* eſſe.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

XLIIX. Hieronymo jungimus Rufinum, aliàs quidem æmulum & adverſarium, ſed hac de re, ut paullò antè monuimus, planè concordem. Sic igitur ipſe Expoſitione in Symbolum Apoſtolicum: *Spiritus ſanctus eſt, qui in Veteri teſtamento Legem & Prophetas, in Novo verò Evangelia & Apoſtolos inſpiravit. Vnde & Apoſtolus dicit: Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum. Et ideo quæ ſunt novi ac veteris inſtrumenti volumina, quæ ſecundum majorum traditionem per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur, & Eccleſiis Chriſti tradita, competens videtur in hoc loco evidenti numero, ſicut ex Patrum monumentis accepimus, deſignare. Itaque veteris inſtrumenti primò omnium Moſi quinque libri ſunt traditi.* Sed enumeratione prioribus & Hieronymianæ conformi ſuperſedemus. Vbi eam abſolvit, ſubjicit, *In his concluſerunt librorum numerum Veteris teſtamenti.* Adjungit de alijs libris *non canonicis, ſed Eccleſiaſticis*, ſolitis quidem in eccleſijs legi, *non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam:* quæ nos antea attulimus. Num. 35.

XLIX. Porrò è quincto ſeculo producimus, qui *Maſsiliæ & aliis etiam locis in Galliâ* Auguſtini de prædeſtinatione ſententiam in dubium vocabant. Illi enim teſtimonium, quod è libro Sapientiæ Auguſtinus produxerat, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus; tamquam non canonnicum definiunt omittendum*, ut ſcribit & teſtatur in epiſtolâ ad Auguſtinum Hilarius Arelatenſis. Sap. 4, 11. Quoniam autem librorum nec à Prophetis ſcriptorum, nec in canonem veteris eccleſiæ receptorum par eſt ratio, quo jure unus rejicitur, rejiciuntur etiam reliqui: & qui unum exauctorant, reliquos eodem loco habere meritò cenſentur.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

L. Objicies fortè hîc, Auguſtinum ipſum, eximium illum in Eccleſiâ latinâ doctorem, & magnum ſeculi quincti lumen in diverſum abire, & libros Tobiæ, Iudith, duos Maccabæorum, Sapientiæ & Siracidæ canonicis Veteris teſtamenti annumerare, nempe libro ſe-
Num. 35. cundo de doctrinâ Chriſtianâ, cap. IIX. Hîc jam recolendum erit, quod ſuperiùs eſt oſtenſum, veteres hiſce ſeculis doctores priſcorum ad ſe à majoribus translatorum librorum tres facere ordines: unum Canonicorum & θεοπνεύστων; alterum Eccleſiaſticorum, ob præclara exempla & præcepta populo Chriſtiano proponi & prælegi dignorum; tertium Apocryphorum, à quibus lectores, præſertim rudiores, arceant: ſecundum autem ordinem aliquando primi, aliquando tertij nomenclaturam participare. Iſta videlicet in tertiam claſſem conjecta Apocrypha ἀποκρυφῆς μᾶλλον ἢ ἀναγνώσεως ἄξια, ut loquitur Athanaſius ſub finem Synopſeos: *magis digna*
Epiſt. 7. *ſunt ut abſcondantur, quàm ut legantur.* De ijſdem Hieronymus epiſtolâ ad Lætam de inſtitutione filiæ: *Caveat apocrypha, &, ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitioſa, &*
Lib. 17 com. in Ieſaiam. *grandis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere.* Et commentario ad Ieſaiæ LXIV, 4 (ubi ex hoc ipſo loco, & non ex Adſcenſione Ieſaiæ, vel Apocalypſi Eliæ ſumtum eſſe docet, quod habet Apoſtolus 1 Cor. 11, 9) apocryphis
Pſalmo 10, v. 8 & 9. iſtis accommodat verba pſalmi decimi. *Apocryphorum,* inquit, *deliramenta conticeant: de quibus verè dici poteſt, quòd ſedeat diabolus in inſidiis cum divitibus in apocryphis, ut interficiat innocentem.* Et iterum: *Inſidiatur in apocrypho quaſi leo in ſpeluncâ ſuâ: inſidiatur ut rapiat pauperem.* Ipſe etiam

Augu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Auguſtinus, libro XV de civitate Dei, cap. XXIII: *Omittamus earum ſcripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eò quòd earum occulta origo non claruit patribus, à quibus uſque ad nos auctoritas veracium ſcripturarum certiſſimâ & notiſſimâ ſucceſſione pervenit. In his autem apocryphis etſi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt canonica auctoritas.* Et paullò pòſt: *Multa ſub nominibus Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum ab auctoritate canonicâ diligenti examinatione remota ſunt.* Auguſtinus igitur ab hujusmodi apocryphis diſcretum ivit libros *ad ædificationem plebis in eccleſiis legi* ſolitos, & proinde laxiore catalogo inſtituto canonicis (quatenus qui ab ejusmodi apocryphis ſecernuntur, canonici vocabulo latiùs accepto dici poſſunt) annumeravit.

LI. Quin ejus rei hoc ipſo in De doctrinâ Chriſtianâ loco non obſcurum fecit indicium, quum ſcripſit: Solers lector *in canonicis ſcripturis, eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur eccleſiis catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresq́; accipiunt, eis, quas pauciores minorisq́; auctoritatis eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc facilè invenire non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Differentiam inter libros, quos jam jam enumeraturus erat, agnoſcit & ponit ipſe Auguſtinus. At inter libros θεοπνεύστους & verè canonicos etiamſi, quod dignitatem aut neceſſitatem doctrinæ, quæ pro-

ponitur, attinet, diſcrimen eſſe poſſit, nullum tamen poteſt eſſe reſpectu auctoritatis, aut infallibilitatis, aut certitudinis. Enumeraturus igitur erat non ſtrictè, ſed laxè, quum verbis productis proximè ſubjicit : *Totus autem canon ſcripturarum, in quo iſtam conſiderationem verſandam dicimus, his libris continetur: quinque Moyſeos, Geneſi, Exodo &c.* Idipſum intelligi poteſt ex XVII de civitate Dei, cap. XX. *Salomonis*, inquit, *libri tres recepti ſunt in auctoritatem canonicam, Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum canticorum. Alij verò duo, quorum unus Sapientia, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquii nonnullam ſimilitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit conſuetudo. Non autem eſſe ipſius, non dubitant doctiores: eos tamen in auctoritatem*, ſcriptorum videlicet eccleſiaſticorum, & populo publicè prælegi ſolitorum, *maximè occidentalis antiquitus recepit eccleſia. — Sed adverſus contradictores non tantâ firmitate proferuntur, quæ*
Epiſt. 61. *ſcripta non ſunt in canone Iudæorum.* Ita alibi ſcribit Donatiſtas Circumcelliones, qui ſibimetipſis mirâ væſaniâ necem conſciſcerent, *ſummâ exemplorum inopiâ coarctatos in Maccabæorum libris, perſcrutatis omnibus eccleſiaſticis auctoritatibus, vix aliquando*, quod pro ſuâ ſententiâ adducerent, *inveniſſe.*

LII. Diſcrimen autem inter hos ipſos Maccabæorum ſimilesque eccleſiaſticos libros, & alios verè canonicos ſatis diſertè proponit tum ſecundo libro contra epiſtolam Gaudentij cap. XXIII; tum XIIX de civitate Dei, cap. XXXVI. Neque enim umquam concordi priorum quatuor ſeculorum teſtimonio, & orientalis occidentaliſque eccleſiæ conſenſui ſeſe oppoſuerit aut ſubduxerit Auguſtinus. Vtrumque ejus locum adſcribemus. Prior in hunc habet modum : *Hanc quidem ſcripturam,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*pturam, quæ appellatur Maccabæorum, non habent Judæi ſicut Legem & Prophetas & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet tamquam teſtibus ſuis : — ſed recepta eſt ab Eccleſiâ non inutiliter, ſi ſobriè* ( quî fieri poſſit, ſi θεόπνευστον & verè canonicam crediderit Auguſtinus, ut ita loquatur? ) *legatur vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos, qui pro Dei lege ſicut veri martyres, à perſequutoribus tam indigna atque horrenda perpeſſi ſunt, ut etiam hinc populus Chriſtianus adverteret, quoniam non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Poſterior locus hic eſt : *Supputatio temporum à reſtituto templo non in Scripturis ſanctis, quæ Canonicæ appellantur, ſed in alijs invenitur, in quibus ſunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet, propter quorumdam martyrum paſſiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Chriſtus veniſſet in carnem, uſque ad mortem pro lege Dei certaverunt.* Ecce Maccabæorum libri non ſunt inter ſcripturas ſanctas, quæ canonicæ appellantur : & Eccleſia habet eos pro canonicis. Num in veſtigio ſibimetipſi ſanctus doctor contradicit? aut num eccleſia libros pro canonicis habet, qui inter Scripturas canonicas non ſunt? Sed explicat ſeſe, quum addit, ab Eccleſiâ pro canonicis haberi, *propter quorumdam martyrum paſſiones.* Nempe non habentur pro canonicis, quòd auctores eorum prophetæ vel ſcriptores θεόπνευστοι fuerint, ſed quòd eximia pietatis, zeli & conſtantiæ exempla, quæ in ijs leguntur, populo in eccleſiâ proponi ex uſu ſit. Eos, inquit, *non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.* Nempe, quamvis hi libri à Iudæis Helleniſtis, quorum ſanè idiotiſmo loquuntur, olim uſurpati, cujus etiam rei aliquod ab Epiphanio fieri videtur indicium; ex quo tamen Hebræi Hæreſi 8.

 faſtidi-

faſtidire cœperunt Græcas artes & linguam, hos quoque libros in precio & uſu habere deſierunt. At Eccleſia ad ædificationem plebis legere non deſiit. Habet igitur hactenus, eoque in ſenſu, pro canonicis, quamvis hodiernæ Iudaicæ genti ſordeant.

LIII. Intellectâ ſententiâ Auguſtini facilè etiam intelligitur canon concilij Carthaginienſis, cui interfuit Auguſtinus; qui eſt in codice canonum Eccleſiæ Africanæ vigeſimus quartus, capiendus in eamdem ſententiam de libris, quos in eccleſijs ad ædificationem plebis fas ſit prælegere; ſicut ipſa quoque canonis verba dilucidè teſtantur. *Placuit ut præter ſcripturas canonicas nihil in eccleſiâ legatur ſub nomine divinarum ſcripturarum.* Poſt enumerationem ſubdit: *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel (&) alijs earum partium epiſcopis pro confirmando iſto canone innoteſcat, quia à patribus iſta accepimus in eccleſiâ legenda.*

LIV. Cæterùm eodem ſeculo quincto occurrunt duo Romani epiſcopi, papæ ſive pontifices (ſic enim eâ ætate epiſcopi communiter vocabantur) Innocentius & Gelaſius, ille ſub initium, iſte ſub finem ſeculi, qui laxiorem catalogum, inſtar Auguſtini, uterque proponunt. Eodem itaque modo capiendi & intelligendi erunt, quo capitur & intelligitur Auguſtinus. Innocentius videlicet ab Exuperio epiſcopo Toloſano conſultus, quum libros canonicos immixtis eccleſiaſticis recenſuiſſet, tandem concludit, *Si quæ ſunt alia, non ſolùm repudianda, verùm etiam noveris eſſe damnanda.* Eccleſiaſticos igitur hoc potiſſimùm fine canonicis immiſcuit, ut ab inutilibus & pernicioſis apocryphis ſegregaret. Quantum autem datur cognoſcere, primus omnium id fecit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

fecit, & laxiore contexto catalogo eccleſiaſticos cum canonicis confudit. Scripta enim eſt epiſtola COSS. Stilicone ſecundùm & Anthemio, hoc eſt, anno æræ noſtræ CCCCV, quinquennio antequam ab Alarico & Gothis Roma caperetur. Ejus exordium hoc eſt: *Conſulenti tibi frater cariſſime, quid de propoſitâ ſpecie* (quæſtione) *unaquaque ſentirem, pro captu intelligentiæ meæ, quæ ſunt viſa reſpondi.* Sibi ſanè non arrogat, quòd infallibilis ſit aut errare nequeat. Quin Eraſmus de eo ejusque ad epiſcopos Africanos epiſtolâ, quæ inter Auguſtini epiſtolas legitur, haut veritus fuit ſcribere: *In hac epiſtolâ & dictionem, & ingenium, & eruditionem tali dignam præſule deſiderare cogimur.* Epiſt. 91. Et aliam, quæ paucis interjectis ſequitur: *Innocentius ſuo more ſævus potiùs quàm eruditus, & ad damnandum quàm docendum inſtructior.* Epiſt. 96. Hic profectò idem eàdem, in quâ catalogus, de quo agimus, occurrit, epiſtolâ auſus fuit viventibus in conjugio applicare verba Apoſtoli; *Coinquinatis & infidelibus nihil mundum:* Tit. 1, 15. item, *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Rom 8, 8. Bonifacium, cujus ſynodus Carthaginienſis meminit, ſucceſſorem, intermedio tamen Zoſimo, habuit: ſuæque (Innocentij inquam) epiſtolæ in veteri codice canonum eccleſiæ Romanæ poſt epiſtolas Siricij deceſſoris, quæ primum tenent locum, proximæ ſunt; quum nullum vel in hoc ipſo codice, à quo aliàs, ſi genuinæ eſſent, abeſſe non potuiſſent, antiquiorum merciumque Mercatoris appareat veſtigium.

LV. Gelaſius Romæ epiſcopus fuit vergente ad finem ſeculo quincto. Ejus in veteri codice canonum eccleſiæ Romanæ una ſaltem exſtat epiſtola, diſtincta in capitula XXIIX. In tomis conciliorum plures legun-

tur; & memoratur etiam ſynodus Romæ habita, in quâ libri ſacri enumerantur, præmiſsâ epigraphe hujuſmodi: *Ordo librorum Veteris teſtamenti, quem ſancta & catholica Romana ſuſcipit & veneratur eccleſia, digeſtus à Gelaſio Papa cum ſeptuaginta epiſcopis.* Non dicitur *Ordo librorum canonicorum Veteris teſtamenti*: ſed ſimpliciter, *Ordo librorum Veteris teſtamenti*; nempe ſub Vetere ſcriptorum, & poſtea in uſum Eccleſiæ, ut publicè populo prælegantur, receptorum: ut in conſiderationem & cenſum veniant non tantùm qui ſtrictè & in rigore Canonici appellantur, ſed etiam Eccleſiaſtici. Sic ſanè capi poſſunt, & ſine dubio debent hæc verba, ne Gelaſius cum ſuis epiſcopis à naturâ rei ipſius (nam, ut pridem monuimus, qui liber tempore durantis Veteris teſtamenti canonicus non fuit, is ſubſequente ævo Canonicus iſtius Veteris fieri nullâ ratione poterit) & à conſenſu totius orientalis & priſcæ ac primævæ occidentalis eccleſiæ diſcrepare videatur. Accedit, quòd Gelaſius non niſi unum Maccabæorum librum ponit: *Maccabæorum*, inquit, *liber unus*: unde appáret, quod Eccleſiaſticos aut ſecundi ordinis libros attinet, non fuiſſe admodum curioſum; quin ab anteceſſore ſuo Innocentio, & ab Auguſtino, qui duos numerant, diſſentire

LVI. Neque mirum eſt Alcimum Avitum, qui poſt initium ſeculi ſexti Viennæ in Galliâ epiſcopum metropolitanum egit, Iſidoro Hiſpalenſi libro de viris
Cap. 36. illuſtribus *ſcientiâ ſecularium literarum doctiſſimus*, Adoni ſucceſſori *eloquentiæ & ſanctitate præcipuus*; non mirum eſt, inquam, hunc, quum de laude virginitatis ad ſororem ſuam Fuſcinam ſanctimonialem carmen ſcriberet, eamq; à ſedulâ ſacrorum librorum lectione inſignique cogni-

tione

tione commendaret, Eccleſiaſticos Canonicis, utpote non minùs quàm hoſce ſorori notos & lectos, miſcuiſſe. Vtroſque junctim, ſicut hodie fieri amat, tum quoque latini codices ſine dubio exhibuerunt. Et vel propter ſolam hanc conjunctionem ſuo modo libri Scripturæ & Biblici dici poterunt. Sic autem Avitus:

*— quidquid ſacræ divina volumina legis,*
*Aut ſenſu aut verbo monſtrant, —*
*— ut digitos, ſoror, iſthæc omnia dudum*
*Docta tenes.*

*Et quæ veridici, nec in hoc tamen ordine*, nempe Canonicorum vel Eccleſiaſticorum auctorum, *Patres*
*Expoſuere ſuis myſteria digna libellis;*
*Hæc tu cuncta tenens animo ſitiente bibiſti.*
*Nec ſi quid ſacrum noſtri cecinere poëtæ,*
*Te latet.*
*Cætera quid replicem? tu ſenſibus utere doctis,*
*Et quæ nota tibi, vel quæ percurſa legendo,*
*Ad virtutis opus ſtudio converte virili.*
*Nam niſi doctrinæ jungatur vita fideli,*
*Majores faciet conjuncta ſcientia pœnas.*

Hæc ad ſororem & de ſorore Avitus.

LVII. In eamdem ætatem incidit longæva vita M. Aurelij Caſſiodori, qui nobili genere natus virtute & eruditione ad ſummos honores ſub Theodorico ex Amalorum familiâ Gotho, Italiæ poſt devictum Odoacrem rege, adſcenderat: tamdem verò *repulſis ſollicitudinibus dignitatum & curis ſecularium nexio ſapore conditis* (ſic ipſe loquitur) *poſt amariſſimas actiones* religioſam vitam profeſſus fuit. Iuxta Trithemium factus eſt *monachus & abbas cœnobij apud urbem Ravennatenſem*. Ipſe Inſtitu- Prologo in pſalter. Libro de ſcript.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſtitutione ſive introductione in lectionem divinarum
Cap. 29. ſcripturarum monaſterium ſuum *Vivarienſe* appellat, & ſitum eſſe dicit *ad piſcoſi amnis Pellenæ fluenta vicina*, prope mare, & *montis Caſtelli ſecreta ſuavia*. Num locus hic in agro Ravennate fuerit, non ſatis conſtat. Etiamſi verò in monaſterio illo ſenex grandævus (nonagenario enim majorem fuiſſe ipſe facit indicium) vixerit, ſtudiisque gnaviter operam dederit, abbatis tamen munus videtur declinaſſe, alijsque demandaſſe. Sic enim ſuos
Cap. 32. Inſtitutionis memoratæ cap. penultimo alloquitur: *Omnes, quos monaſterij ſepta concludunt, tam patrum regulas, quàm præceptoris proprij juſſa ſervate, & libenter, quæ vobis imperantur, efficite. —— Vos autem ſanctiſſimos viros abbates Calchedonium & Gerontium deprecor, ut ſic cuncta diſponatis, quatenus gregem vobis creditum, præſtante Domino, ad beatitudinis dona perducere debeatis. Peregrinum igitur ante omnia ſucipite; eleemoſynam date; nudum veſtite; eſurienti panem frangite: quoniam iſte verè dicendus eſt econſulatus* (alludit fortè ad ſuum exconſulatum) *qui miſeros conſolatur. Ipſos autem ruſticos, qui ad veſtrum monaſterium pertinent, bonis moribus erudite, quos adjectarum penſionum pondere non gravetis. —— Data eſt itaque vobis quædam urbs propria, cives religioſi, in quâ ſi concorditer & ſpiritualiter Domino præſtante tranſigitis, cæleſtis jam patriæ præfiguratione gaudetis. Nolite amare deſidiam, quam Domino cognoſcitis odioſam. Præſtò vobis ſunt ſanctarum ſcripturarum inſtrumenta dogmatica cum expoſitoribus ſuis, qui veri ſunt floriferi campi, cæleſtis paradiſi poma ſuavia, unde & fideles animæ ſalubriter imbuantur, & linguæ veſtræ non caduco, ſed fructifero nimis inſtruantur eloquio. Quapropter deſideranter introite myſteria Domini, ut ſequentibus iter indicare poſſitis, quia magnæ verecundiæ*

*pondus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*pondus eſt habere quod legas, & ignorare quod doceas.* Inſtruxerat videlicet Caſſiodorus illud ſuum monaſterium non modò cunctis ad vitam ſuſtentandam neceſſarijs, ſed etiam ut ſtudia, quæ magnopere amabat, promoveret, inſigni bibliothecâ, quæ omnis generis libros, inprimis verò Sacræ ſcripturæ, ejusque expoſitores, potiſſimùm Latinos, contineret. Ad lectionem itaque Scripturæ Inſtitutione iſtâ monachis ſuis præit, ſub cujus finem eos compellans, *Eia nunc*, ait, *cariſſimi fratres, feſtinate in Scripturis ſanctis proficere; quando me cognoſcitis pro doctrinæ veſtræ copiâ, adiutorio dominicæ gratiæ, tanta vobis & talia congregaſſe.* Legendos itaque proponit Scripturæ libros non tantùm Canonicos propriè ita dictos, ſed etiam Eccleſiaſticos; atque adeo utrumque catalogum recenſet, tum ſtrictiorem Hieronymi, tum laxiorem Auguſtini. Cap. 12 & 13. Quoniam autem, qui Eccleſiaſticos expoſitionibus illuſtraſſet, ex veteribus invenire neminem potuit, ne tamen abſque hoc adminiculo à monachis legerentur, earum conficiendarum negocium dedit *religioſiſſimo viro, Bellatori presbytero.* Rectè autem monet, *propter virtutes excellentiſſimas morum conſcriptos eſſe, ut patientiam, ut ſpem, ut caritatem, ut etiam in fœminis fortitudinem, ut pro Deo contemtam præſentis ſeculi vitam, vel cætera, quæ illic virtutum genera Domino præſtante floruerunt, noſtris animis competenter infunderent.* Cap. 6. Hactenus igitur Hieronymo vel Hebræis aut Græcis Caſſiodorus non adverſatur.

LIIX. Ad eundem ferè modum capiendus & exponendus Iſidorus Hiſpalenſis, cujus epiſcopatus incidit in primum ſeculi ſeptimi trientem, & tempora florentis in Hiſpaniâ regni VVeſtgothorum. Videndus eſt libro de officijs eccleſiaſticis, cap. XII; & libro prooe-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

miorum in Vetus & Novum teſtamentum; & libro ſexto Originum ſive Etymologiarum. Deſcribit hîc Hieronymum, neque negligit Auguſtinum, cujus etiam verba
Orig. l. 6. cap. 1. amat uſurpare. *Hebræi*, inquit, *Vetus teſtamentum juxta numerum literarum ſuarum viginti duobus libris accipiunt, dividentes eos in tres ordines, Legis ſcilicet, & Prophetarum, & Hagiographorum.* Tres illos ordines juxta ductum Prologi galeati recenſet, & deinde addit: *Quartus eſt apud nos ordo veteris teſtamenti eorum librorum, qui in canone Hebraico non ſunt.* In quo ſi non ſunt, fieri nullo pacto poteſt, ut ſint Veteris teſtamenti libri canonici genuini, ſtrictéque & propriè ita dicti. Sed pergat: *Primus Sapientiæ eſt; ſecundus, Eccleſiaſticus; tertius, Tobias; quartus, Iudith; quinctus & ſextus, Maccabæorum. Quos licet Hebræi inter apocrypha ſeparent, Eccleſia tamen Chriſti inter divinos libros & honorat & prædicat.* De libro Sapientiæ & Eccleſiaſtico dicit cum Auguſtino, *propter quamdam eloquij ſimilitu-*
Libro proœmiorum. *dinem Salomonis titulo prænotari.* Item: *Libros quidem Tobiæ, & Iudith, ſive Maccabæorum Hebræi non recipiunt: Eccleſia tamen eoſdem inter canonicas ſcripturas enumerat.* Oſten-
Num 52. dimus paullò antè, quomodo dicat Auguſtinus, *ſupputationem temporum à reſtituto templo non in Scripturis ſanctis, quæ Canonicæ appellantur, ſed in alijs inveniri, quos non Iudæi ſed Eccleſia pro canonicis habeat*; & quomodo hæc verba ſint capienda, ne vir magnus ſanctuſque in veſtigio ſemetipſum conficere, & contradictione atque abſurditate irretire videatur. Quomodo exponitur Auguſtinus, ita quoque exponendus erit Iſidorus, Auguſtinum ſequutus; & qui Iſidorum exſcribit Rabanus Maurus, ſub Caroli magni filijs & ſucceſſoribus, currente ſeculo nono primùm Fuldenſis abbas, deinde Moguntinus



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tinus epiſcopus, libro de inſtitutione clericorum tertio, cap. v.

LIX. Quoniam iterum in Auguſtinum hîc incidimus, denuò nonnulla, è quibus mentem ejus aliam, quàm diximus, non fuiſſe appareat, proferemus. Diximus antea, quòd imparitatem auctoritatis illorum, quos enumerat, agnoſcat, argumento eſſe, quòd non omnes eodem loco habeat, vel proprio ſtrictoque ſenſu canonicos & divinos eſſe cenſeat. Eamdem differentiam integro poſt Auguſtinum ſeculo agnoſcit alius Africanus epiſcopus, nempe Iunilius libro primo de partibus divinæ legis, cap. VII: etiamſi fortè mentem ſuam non ſatis commodè exprimit. Scribit autem ad modum dialogi iſta. *Diſcipulus. Quomodo divinorum librorum*, nempe qui aut revera divini ſunt, aut tales habentur, *conſideratur auctoritas? Magiſter. Quia quidam perfectæ auctoritatis ſunt, quidam mediæ, quidam nullius. D. Qui ſunt perfectæ auctoritatis? M. Quos Canonicos in ſingulis ſpeciebus abſolutè enumeravimus. D. Qui mediæ? M. Quos adjungi à pluribus diximus. D. Qui nullius auctoritatis ſunt? M. Reliqui omnes.* Qui non ſunt perfectæ auctoritatis, nec Canonici ſunt, ſi strictè & proprie vox capiatur: qui autem mediæ, Eccleſiaſticis; qui nullius, Apocryphis, de quibus numero L dictum fuit, annumerandi. Sed hæc admonitionis ergo adducta nunc ita tranſmittamus. Num. 51.

LX. Diximus ſuperiùs, Auguſtino, quum è libro Sapientiæ protuliſſet locum, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, à Gallis objectum fuiſſe, illum librum non eſſe canonicum. Quibus ipſe quidem ad Proſperum & Hilarium, qui epiſtolis ſuis indicium fecerant, ſermonem dirigens duos libros opponit, unum Num. 45.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

inſcriptum De prædeſtinatione ſanctorum, alterum De bono perſeverantiæ. Prioris capitulo decimoquarto de objectione, quam diximus, agit. Potuiſſet uno verbo abſolvere, ſi dixiſſet, Sapientiæ librum omnino eſſe canonicum, & falli Gallos, qui ſecus opinentur. Sed hoc non dicit. Oſtendit potiùs, revera divinæ gratiæ eſſe beneficium, ſi juſtus crudâ vel immaturâ ætate rapiatur, ne periculo mutationis in deterius exponatur, aut etiam ſuccumbat: & proinde hoc quoque dictum, à quocumque profectum fuerit, divinâ veritate niti. Vocat nimirum *ſententiam veram planè, & antiquitus Chriſtianam. Quaſi*, inquit, *& exceptâ hujus libri atteſtatione res ipſa non clara ſit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audet negare Chriſtianus, juſtum, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo ſanæ fidei reſiſtendum putabit? —— Hæc eſt tota cauſſa cur dictum eſt, à quocumque ſit dictum; Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. —— Quæ quum ita ſint, non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ; qui meruit in Eccleſiâ Chriſti* (alterum hoc eſt reſponſum; Si antiquus tractator vel Scripturæ interpres id dixiſſet, admitterent Galli: hic autē ſcriptor etiamſi canonicus non ſit, tractatoribus tamen meritò præfertur) *de gradu Lectorum eccleſiæ Chriſti, tam longâ annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab epiſcopis, uſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione divinæ auctoritatis audiri. Certè enim ſi de divinarum ſcripturarum tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem defenſionem hujus ſententiæ, quam nunc ſolito diligentiùs atque copioſiùs contra novum Pelagianorum defendere urgemur errorem: — ſi hujus ergo ſententiæ defenſionem ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem,*

*pre-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquieſcerent: hoc enim ſignificaſtis literis veſtris.—— Sed qui ſententiis tractatorum inſtrui volunt, oportet, ut iſtum librum Sapientiæ ubi legitur, Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus; omnibus tractatoribus anteponant: quoniam ſibi eum antepoſuerunt etiam temporibus proximi Apoſtolorum egregij tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere niſi divinum teſtimonium crediderunt.* Divinum videlicet non tam reſpectu auctoris, qui dixit, quàm rei, quæ dicitur. Quo ſenſu itidem à ſancto Cypriano libro De mortalitate addu- Cap. 16.
ctum fuerat. Porrò idem Auguſtinus quum ex Eccleſiaſtico locum protuliſſet, & ſibi ipſemet objeciſſet, contradici poſſe, quòd liber non ſit in canone Hebræorum; nihil opponit aut reſpondet, ſed aliud, cui contradici non poterat, profert. Verba ſunt libro de curâ pro mortuis, cap. xv: *Liber Eccleſiaſticus, quem Ieſus filius Sirach ſcripſiſſe traditur, & propter eloquij nonnullam ſimilitudinem Salomonis pronunciatur, continet in laude patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetaverit. Sed ſi huic libro ex He-* Eccl. 36, 23.
*bræorum, quia in eo non eſt, canone contradicitur, quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Helia, qui mortuus non eſt, legitur appuruiſſe* Matt. 17, 3.
*viventibus.* Non dicit Auguſtinus, neque quiſquam veterum alius, in priſco canone Hebræorum olim fuiſſe, à nupero ſolùm & recentiore hodie exulare: ſed ſimpliciter admittit, non eſſe in canone Hebræorum. In quem ſi pridem non fuit adſcitus, exactis aliquot, ex quo Vetus teſtamentum exſpiravit, ſeculis, reponi à nemine poteſt. Idem Auguſtinus quum ex eodem Eccleſiaſtico re- Eccl. 10, 8.
citaſſet verba, *Quid ſuperbit terra & cinis? videor,* inquit, *non rectè appellaſſe verba prophetica, quia non in ejus libro le-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*gitur, quem certi ſimus appellandum eſſe prophetam.* 1 Retract. cap. x.

LXI. Ex his abundè liquet, Auguſtinum de canone Scripturarum ab alijs antiquioribus non diſſentire, & quomodo capiendus ſit tum ipſe, tum qui eum poſtea ſequuti ſunt & deſcripſerunt, etiamſi aliquando Eccleſiaſticos Canonicis immiſcuerint, aut etiam planè Canonicos appellaverint. Nempe vocabula *canonis* & *canonici* aliquanto latiùs acceperunt, & enumerarunt non modò libros ſtrictè canonicos, è quibus dogmata fidei hauriantur, ſed etiam alios, à fidelibus & piis, qui ſub Vetere teſtamento fuerant, profectos, antiquos & utiles, populoque in eccleſiâ prælegi dignos, quòd ad mores monitis & exemplis formandos multùm faciant. Hinc autem tantum abeſt ut abeant, quos ſtrictiorem catalogum proponere diximus, ut ultrò præeant, & hanc conciliandi rationem nobis ſuggerant. Pridem
Num.35. audivimus Hieronymum docere, *ſicut Iudith, & Tobiæ, & Maccabæorum, ſic etiam Siracidæ & Sapientiæ libros legi ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam:* item Rufinum; *majores quidem legi iſta in eccleſiis voluiſſe, non tamen proferri ad auctoritatem fidei confirmandam.* Neque verò Græci, qui à primævâ numerandi ratione nuſquam diſcedunt, & arctiori catalogo invariatè adhærent, legi in eccleſijs nolunt, ſed potiùs ipſi inde monita & exempla paſſim promunt. Athanaſius quidem ſcribit *tantùm catechumenis legi.* Et id fortè in eccleſiâ Alexandrinâ obtinuit. Chryſoſtomus autem aliquando argumenta ſermonum, quos ad populum habuit, inde petiit. Haut tamen inviti concedimus, majorem & frequentiorem uſum fuiſſe in Latinâ eccleſiâ,

quàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

quàm Græcâ: quod etiam innuit Auguſtinus XVII de civitate Dei, cap. xx. Et hinc ſine dubio factum, ut in enumerando Canonicis junxerint & immiſcuerint aliqui Latini, nulli verò Græci.

LXII. Hactenùs itaque canonicos eſſe, ut populo in eccleſiâ legere eos liceat, tam Græci, quàm Hieronymus & Rufinus priſcique cæteri facilè conceſſerint; nec ſi appellatione *Canonici* hoc ſolùm innuatur, de vocabulo pugnaverint: Innocentius autem, Auguſtinus, Carthaginienſes, Gelaſius haut diffitebuntur, eatenus, nec aliter ſeſe intelligere, priſcoque & communi canoni præjudicare nec velle nec poſſe. Canonici, inquam, hactenus ſunt, quòd ad inſtructionem populi & ædificationem morum in eccleſiâ legi poſſint, *ad eruditionem noſtram præcepta cœleſtia in eccleſia diſpenſantes*, ut loquitur Iſidorus: non ſunt canonici, quòd Moſi & Prophetis pares, aut ex ſe ad confirmationem dogmatum idonei habeantur. Ita omnino ſtatuere oportet, niſi paucos Latinos cum Græcis omnibus & ipſis antiquioribus, quin & recentioribus pleriſque Latinis pugnare malimus. Nec aliâ ratione Patres Trullani canones tum Laodicenos, qui ſtrictiorem, tum Carthaginienſes, qui laxiorem catalogum proponunt, admittere & probare potuerunt, niſi hac ipsâ. Quin non fuerit ineptum huc diſtinctionem Protocanonicorum & Deuterocanonicorum, quã Sixtus Senenſis, etſi alio ſenſu, uſurpat, accommodare. Lubet rem totam ſyllogiſmo comprehenſam proponere. Quod neceſſarium eſt admitti, ne videantur Innocentius, Auguſtinus & Gelaſius pugnare cum universâ eccleſiâ veteris teſtamenti, totaque orientali & vetuſtiore latinâ; & quod ipſi illi agnoſcunt; id omnino eſt admittendum.

Libro 1 de offic. eccl. cap. 12.

Can. 2.

Biblioth. l. 1 sub fin.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tendum. Sed duplex acceptio hujus vocis *Canonici*, latior videlicet & ſtrictior, ad iſtum finem eſt neceſſaria; & ipſi, de quibus agitur, diſcrimen agnoſcunt. Ergo duplex illa acceptio eſt admittenda. Rurſus: Qui recentiores ſcriptores nuncupatione Canonicorum librorum latiùs acceptâ Eccleſiaſticos ad ædificationem plebis legi ſolitos includunt, & diſcrimine admiſſo hos iſtis non æquant; illi etiam in enumerandis ſacris libris ab universâ quatuor priorum & antiquiorum ſeculorum eccleſiâ non diſſentiunt, & proinde eumdem, quem illa, canonem, ſi vox ſtrictè capiatur, agnoſcunt. Sed recentiores Innocentius, Gelaſius, & Auguſtinus, (qui cæterorum quaſi interpres rem hinc inde in libris ſuis prolixiùs exponit, quum reliqui plerumque nudâ enumeratione ſint contenti) & qui eum ſequuntur, nuncupatione Canonicorum latiùs acceptâ Eccleſiaſticos etiam includunt, & nihilo minus diſcrimini inter utroſque locum relinquunt. Ergo. Vtraque Minor ex ijs, quæ dicta & adducta ſunt, manifeſta eſt.

LXIII. Cæterùm Pontificij concilio Tridentino poſteriores, miros hîc ludos faciunt. Specimen nunc ſaltem præbeat Martinus Becanus, acuto vir ingenio, & ſatis etiam verſuto. Hic autem dum certæ veritati ſe opponit, ineptire cogitur. Scribit enim Manualis controverſiarum libro primo, cap. 1, quæſt. 1: *Canon* Scripturarum, quem Pontificij amplectimur, *habetur in concilio Tridentino, ſeſſione IV. Et Patres illius concilij acceperunt illum per traditionem ab Eugenio papa in concilio Florentino.* De eo inferiùs ſuo loco videbimus. *Rurſum Eugenius illum accepit à Gelaſio Papa, in concilio Romano.* Diſtat Eugenius cum ſuo concilio Florentino à Gelaſio concilioque iſto Ro-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

mano annis pluribus, quàm nongentis quadraginta. *Iterum Gelaſius ab Auguſtino: & Auguſtinus à concilio Carthaginenſi.* Huic interfuit Auguſtinus, ut videri poſſit ab eo accepiſſe concilium. *Denique Patres hujus concilij ab Innocentio primo. Vixit autem Innocentius anno Chriſti CCCCII. Igitur ab illo tempore primitivæ eccleſiæ ad nos uſque per continuam traditionem perſeverat idem ille Scripturæ canon, quem nos nunc tenemus & amplectimur.* Iuxta Becanum videlicet incipit primitiva eccleſia à ſeculo poſt natum Servatorem quincto, & quatuor priorum nulla habetur ratio. Et quod à Gelaſio accepit Eugenius, *per continuam traditionem* derivatur, etiamſi interſint anni propemodum mille. Deniq; ſi à Gelaſio accepit Eugenius, ab Auguſtino Gelaſius, & ab Innocentio Auguſtinus; à quonam accepit Innocentius? num ſine teſtimonio, imò contra teſtimonium, traditionem & conſenſum quatuor præcedentium ſeculorum ipſe pronunciat, an verò ſecundum illud? In haſce abſurditates ſive anguſtias virum aliàs eruditum & ingenioſum conjecit ſuſcepta falſæ ſententiæ defenſio. Neque ληρῶδες minùs eſt illud, quod affert libro de analogiâ Veteris & Novi teſtamenti, cap. 1, quæſt. 1. *Quæſtio eſt*, inquit, *quinam libri Veteris teſtamenti ſint canonici*, ſive, *quinam relati ſint in catalogum ſeu canonem librorum Scripturæ Veteris teſtamenti*, Reſpondet autem: *Canon ſeu catalogus librorum Veteris teſtamenti duplex eſt: unus Judaicus, qui tempore Eſdræ, ſeu ab ipſo Eſdra, vel à concilio ſacerdotum, cui ipſe interfuit, confectus eſt: — alter Chriſtianus, qui auctoritate Innocentij primi confectus eſt. — Et quidem de prioribus, qui continentur in canone Iudæorum, non eſt diſputatio. Omnes tam Iudæi quàm Chriſtiani agnoſcunt illos pro canonicis. De poſterioribus aliqua diſſenſio eſt.* Nos pridem Num. 9.


oſten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

oſtendimus, diſtinctionem illam nullo niti fundamento, imò fundamentis rerumque indoli adverſari, & canonem librorum Veteris teſtamenti, ſi propriè & ſtrictè capiatur, à Iudaico nec eſſe, nec poſſe eſſe diverſum. Neque caret abſurditate, canonem librorum Veteris teſtamenti aliquot demum ſeculis, ex quo antiquatum ipſum fuit, confici. Num verò poſt exſtinctam Veteris teſtamenti eccleſiam epiſtolâ ſuâ efficere poteſt Innocentius, ut illa olim in canone habuerit libros, quos, quum eſſet & vigeret, in canone numquam habuit? neque enim, ſi hoc efficere nequit, ut canonici libri Veteris teſtamenti ſint, efficere umquam poterit: nam ut canonici ſint Veteris teſtamenti, in canone tum, quum V. T. viguit, fuiſſe, & ab illâ eccleſiâ agnitos eſſe oportet. Nos quidem non magis credimus id eum efficere poſſe, quàm ut librum ſub Ptolomæo Evergete ſcriptum, Salomo ſcripſerit. Innocentius enim Salomoni *quinque libros*, & proinde etiam Eccleſiaſticum, qui Siraciden auctorem habet, attribuit. Quamquam eum hic excuſare poteſt *conſuetudo*, quæ illis temporibus *obtinuerat, ut propter eloquij nonnullam ſimilitudinem Salomonis dicerentur*, ſicut docet Auguſtinus XVII de civitate Dei, cap. XX; II de doctrinâ Chriſtianâ cap. IIX; de curâ pro mortuis cap. XV: & imitatus eſt ac exſcripſit Iſidorus Originum libro VI, cap. II; Prooemio de libris Veteris & Novi teſtamenti; libro I de officijs eccleſiaſticis, cap. XII. Innocentius etiam Maccabæorum duos libros memorat; Gelaſius non niſi unum. Res ipſa igitur clamat Latinos hoſce in recenſendis Scripturæ libris, in diſtinguendis, in numero & auctoribus eorum deſignandis, liberiùs ſe gerere, & ἀκρι-βείᾳ non uti.

LXIV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

LXIV. Dicent autem ſine dubio hodierni Pontificij: Romanus pontifex fuit Innocentius; è cathedrâ non ſine maturâ conſultatione & adhibito plurium Coëpiſcoporum conſilio definivit; errare non potuit; definitionem ejus omnes, qui ab eccleſiâ catholicâ extorres audire nolint, amplecti & ſequi oportet. At ipſe Innocentius ab Exuperio Toloſano, tamquam ſenior à juniore, vel peritior ab imperitiore conſultus, *Conſulenti*, inquit, *tibi pro captu intelligentiæ meæ, quæ ſunt viſa, reſpondi.* Deinde quæſtio eſt de facto temporis præteriti, ad quod in aliud, quàm fuit quum eſſet, mutandum nulla ſe porrigit poteſtas. Nempe quæritur, Quinam ſint canonici libri Veteris teſtamenti: ſive quoſnam libros Eccleſia Veteris teſtamenti in canone ſuo habuerit. Eccleſia illa dudum deſierat eſſe, & tempus durationis ejus jam inde à quatuor ſeculis præterierat: & quia præterierat, nec revocari umquam poteſt, ut aliter in eo ſe res habeat, quàm ipſo illo præterito tempore habuit, ne quidem per omnipotentiam divinam præſtari poteſt, nedum per pontificiam. Scribit autem Innocentius; *Pro captu intelligentiæ meæ reſpondi, quid ſequendum vel docilis ratio perſuaderet, vel auctoritas lectionis oſtenderet, vel cuſtodita ſeries temporum demonſtraret.* At ſi libros Eccleſiaſticos, quos Canonicis immiſcet, hiſce æquat, & paris vult eſſe auctoritatis, reſpondet aliud, imò contrarium, quàm ratio perſuadet, auctoritas lectionis oſtendit, & cuſtodita ſeries temporum demonſtrat. Rectum autem eſt, quod mox ſubjungit: *Mihi quoque ipſi de collatione docilitas accedit, dum perſcrutatis rationibus ad propoſita reſpondere compellor; eoq; fit, ut ſemper aliquid addiſcat, qui poſtulatur ut doceat.* Aut igitur ad eum, quem diximus, mo-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

dum enumerat; aut manifeſtum errorem incurrit. Quin ſi aliter intelligi vult, palàm eſt, ejus ſive auctoritatem ſive definitionem ab ipſis pòſt ſequutis Latinorum doctorum præſtantiſſimis nullo loco habitam fuiſſe. Conſtat enim poſt illam ætatem in veſtibulo Biblicorum codicum Prologos Hieronymi poni cœpiſſe, eoſque inter præcipuum *Galeatum*, per quem videlicet, ut ipſe loquitur Hieronymus, *ſcire valeamus, quidquid eſt extra hos* in Galeato recenſitos, *inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Jeſu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Paſtor non ſunt in canone*. Si tanta fuiſſet reſponſorum ſive conſtitutionum Pontificiarum auctoritas & certitudo, quantam hodie volunt eſſe, Biblijs præmitti oportuiſſet reſcriptum Innocentij aut etiam Gelaſij, non autem prologum galeatum Hieronymi. Quin Caſſiodorus repræſentaturus monachis ſuis diſcrimen inter recenſionem Hieronymi & quorumdam aliorum, Auguſtinum tamquam inter hos eximium producit; Innocentij vel Gelaſij ne meminit quidem. Alfonſus tamen Toſtatus in primum caput Matthæi: *Magis credendum eſt Hieronymo, quàm Auguſtino, maximè ubi agitur de Vetere teſtamento & de hiſtoriis: nam in hoc ipſe exceſſit omnes doctores eccleſiæ.* A multis itaque ſeculis unanimi quodam Latinæ eccleſiæ conſenſu Latinis Biblijs tum calamo tum typo deſcriptis, in hunc uſque diem, ipſis etiam Romæ editis, præfigitur aut jungitur Prologus galeatus Hieronymi, ſacrorum librorum volumine Biblico comprehenſorum certus index & diſcriminator. Ipſa editio Vaticana monet Prologum galeatum *in principio poni, quòd librorum ſacrorum ordinem contineat.* F. Leander de S. Martino præfatus in ſplendidam

*Vide ſuprà num. 57.*

*Ad v 12 & ſeqq.*

dam

dam Latinorum Bibliorum cum Gloſſis & Lirano Antverpiæ curatam editionem, *Non ſine graviſſimis*, inquit, *cauſis conſenſus temporum, imò & ipſius jam Eccleſiæ judicium (quod in editione Vaticanâ innuitur) voluit, ut hi Prologi Hieronymiani cum ſacro textu conjungerentur.* Hinc Toſtatus Defenſorij parte ſecundâ, cap. XXIII: *Tres gradus librorum Veteris teſtamenti diſtinguuntur à beato Hieronymo in prologo galeato. — Iſta diſtinctio facta eſt ab Eccleſiâ univerſali. quæ concorditer tenet illam diſtinctionem factam à beato Hieronymo. nam iſta tenebatur à Judæis fidelibus ante Chriſti adventum, & fuit poſtea continuata in Eccleſiâ.* Ineptiæ igitur ſunt & gerræ germanæ, quæ ſcribit idem F. Leander ſuo ad illum prologum galeatum commentario. *Sanctus doctor*, inquit, *quum prologos iſtos in ſacras ſcripturas à ſe converſas ſcriberet, nondum judicium & decretum eccleſiæ legerat, quod aliquanto pòſt ab Innocentio Papa primo in epiſtolâ ad Exuperium Tholoſanum prodierat; quem Pontificem ad canonem conſignandum movit tum Africanæ eccleſiæ ſynodalis epiſtola*, (at ſynodus Africana ſive Carthaginienſis epiſtolam, ſi quam ſcripſit, ad Bonifacium Innocentij intermedio Zoſimo ſucceſſorem ſcripſit) *tum etiam ipſius Exuperij ad eum miſſæ literæ. In eo autem decreto Pontifex Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Judith, & Machabæorum libros ſacro canoni annumerandos eſſe docuit. Nec dubium eſt, quin divus Hieronymus decreti hujus auctoritatem admiſiſſet, ſi ipſum ei videre contigiſſet.*

An. 1634.

Vide ſuprà num, 53.

LXV. Vt autem manifeſtò conſtet, ſubſequutis ætatibus in eccleſiâ latinâ à doctoribus ejus nullo loco habitum fuiſſe decretum, quod jactant, ſive Innocentij ſive Gelaſij, ſed obſervatum eſſe antiquum canonem, quem à Iudæis Chriſtiani acceperant, & Hieronymus



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

accuratè delineaverat; hac itaque fini poſteriorum ſe-
culorum ſcriptores, quorum quidem teſtimonia ha-
beri poterunt, luſtrabimus. Gregorius Magnus, Inno-
centij poſt duo, & Gelaſij poſt exactum unum ſeculum
ſucceſſor, Moralium libro XIX, cap. XIII, libros Macca-
bæorum *licet non canonicos, tamen ad ædificationem eccleſiæ
editos* perhibet.

LXVI. Inter opera Auguſtini occurrunt tres libri
Tomo 3. De mirabilibus Sacræ ſcripturæ. Auguſtini quidem in-
genio & eruditione inferiores ſunt: negari tamen non
poteſt antiquos eſſe. Prioribus duobus recenſentur mi-
rabilia ex Vetere, & tertio ex Novo teſtamento. Secun-
dus ita concludit, ut dicat, *In Maccabæorum libris, etſi ali-
quid mirabilium numero inſerendum conveniens fuiſſe ordini
inveniatur, de hoc tamen nullâ curâ fatigabimur: quia tantùm
agere propoſuimus, ut de divini canonis exiguam, quamvis in-
genioli noſtri modulum excedentem, hiſtoricam expoſitionem ex
parte aliquâ tangeremus.*

LXVII. Exſtat etiam brevis, ſed antiquus in A-
pocalypſin commentarius ψευδεπίγραφος, ſub nominè
Victorini Pictavienſis epiſcopi, in quo iſta: *Sunt libri
Veteris teſtamenti viginti quatuor, quos in Epitomis Theodori
invenies.*

LXIIX. Carolus Magnus, aut qui ejus nomine
quatuor de imaginibus libros Græcis oppoſuit, ſub ini-
tium tertij, ubi proponitur *Confeſſio fidei catholicæ, à ſan-
ctis Patribus acceptæ: Novum & vetus teſtamentum recipimus
in eorum librorum numero, quem ſanctæ catholicæ eccleſiæ tradi-
dit auctoritas.*

LXIX. Strabus, *monachus Fuldenſis, natione Teuto-*
Num. 58. *nicus, Rabani Mauri*, cujus antè facta fuit mentio, *auditor
& ſcri-*

*& ſcriba*, ſive *diſcipulus & notarius, vir certè ipſe doctiſſimus, & tam in divinis ſcripturis quàm in ſecularibus literis ad plenum inſtructus, theologus, philoſophus & poëta celeberrimus, — primus Gloſſam, quam Magiſtralem ſive Ordinariam vocant, ſuper tota Biblia comportavit ex dictis ſanctorum Patrum; quam alij poſtmodum adjunctis quibusdam ampliarunt. Claruit ſub Ludovico Pio & Lothario Imperatoribus circa annum Domini* IↃ CCC XL. Ita Trithemius libris de viris illuſtribus Germaniæ, & de ſcriptoribus eccleſiaſticis. Strabus igitur iſte Gloſsâ ad Hieronymi prologum galeatum, *Sicut*, ait, *galea caput militis protegit, ut fiducialius pergat ad bellum; ita & iſte titulus lectori peritiam præſtat, ut valeat diſcernere, qui libri apud Hebræos in canone recipiantur, quíve inter apocrypha deputentur.* Idem ad prologum Hieronymi in Tobiam, & verba, quemadmodum vulgò leguntur, *Librum Tobiæ Hebræi de catalogo divinarum ſcripturarum ſecantes, iis, quæ hagiographa memorant, manciparunt; Potius*, inquit, *& verius dixiſſet, APOCRYPHA. Vel largè accepit Hagiographa, quaſi Sanctorum ſcripta; & non de numero illorum novem, quæ propriè dicuntur Hagiographa, quæ ſunt de catalogo, hoc eſt, de numero XXII librorum: conſiſtit enim in Pentateucho, & octo Prophetis, & novem Hagiographis.*

LXX. Ambroſius Autbertus juxta Sigebertum Gemblacenſem, Anſbertus juxta Trithemium, *monachus & presbyter ordinis ſancti Benedicti, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio mitis & dulcis eloquio claruit ſub Arnoldo* vel Arnulfo *Imperatore circa annum Domini* IↃ CCC XC. Hic libro tertio in Apocalypſin, ad locum de XXIV thronis poſitis juxta primarium thronum, & XXIV ſenioribus ſuper eos ſedentibus, poſt adhibitas alias expoſitiones, *Vel certè*, inquit, *quia prioris teſtamenti* Eccleſia *viginti*

Libro de ſcriptor.

Apoc. 3, 4.

*ginti quatuor libris utitur, quos & auctoritate canonicâ ſuſcepit, in quibus etiam Novum teſtamentum revelatum agnoſcitur, idcirco in viginti quatuor ſenioribus Eccleſia figuratur. Ideo enim eſt Novi teſtamenti prædicatio fructuoſa, quia ex Veteri roboratur: tamquam ſcilicet ab eisdem trahat numerum Eccleſia, quibus in ſanctitate perficitur.*

LXXI. Pervenimus uſque ad ſeculum decimum. In eo occurrit Radulfus Flaviacenſis, *monachus ordinis S. Benedicti* (pergimus uti verbis Trithemij) *vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in omnibus literis humanitatis ſuo tempore doctiſſimus, ingenio ſubtilis, ſenſu profundus, eloquio dulcis, ornatus & diſertus, in exponendis voluminibus ſacris acutus & multùm egregius*, cujus extant commentariorum in Leviticum libri viginti. Initio decimiquarti iſta habet: *Tobias, Iudith & Maccabæorum, quamvis ad inſtructionem eccleſiæ legantur, perfectam tamen non habent auctoritatem.*

LXXII. In Chronico Hirſaugienſi ad annum ſeculi undecimi ſeptuageſimum ſeptimum ſcribit Trithemius: *Claruit his temporibus in Angliâ Giſelbertus abbas monaſterij VVeſt, B. Anſelmi diſcipulus, vir tam in divinis ſcripturis quàm in ſecularibus egregiè doctus, qui inter cætera ſui ingenij monumenta ſcripſit contra Judæos pulcram altercationem non ineleganti ſermone.* Paria habet libro de ſcriptoribus. Hic itaq; Giſelbertus ſine dubio auctor eſt Altercationis Synagogæ & Eccleſiæ, quæ Coloniæ ante elapſum ſecu-
An 1540. lum edita introducit colloquentes Chriſtianum & Iudæum, illum quidem ſub nomine Pauli & Magiſtri, hunc ſub perſonâ Gamalielis & Diſcipuli. Quòd antiquius ſit ſcriptum, ſuadere poſſint hæc auctoris verba: *Theologus apud Græcos Linus fuit, apud Latinos Varro, & noſtri tempo-*

*ris Johannes Scotus de decem categoriis in Deum.* Iohannem Scotum Erigenam ad tempora Caroli Magni refert Trithemius: ad Caroli Calvi rectiùs Matthæus VVeſtmonaſterienſis & Gulielmus Malmesburienſis. Neque conſtat de aliquo hujus opere, quod iſto modo inſcriptum. Plures itaque fuerint eo nomine Scoti, quàm duo illi celebres, Erigena & Doctor ſubtilis. Meritò etiam recentior cenſeri debet auctor propter verba, quæ occurrunt cap. IIX. *Duplici*, inquit, *ſpecie ſacramentum accipimus propter remedium corporis & animæ: & quum idem in utraque ſumatur ſpecie, ſufficit unam tantùm ſpeciem exhiberi multitudini. Et ne fortè periculum fiat calicis, ſolam panis ſpeciem dari non eſt incongruum, ita tamen, ut nec contemtu religionis, nec vitio levitatis fiat.* De ſuis ſanè temporibus pronunciat, *Quis Prælatus noſtris temporibus avidior eſt juſtitiæ quàm potentiæ, quum Deus ob hoc homo factus ſit, ut vinceret diabolum magis juſtitiâ quàm potentiâ?* Quiſquis autem ſit, aut quacumque vixerit ætate, teſtatur *Veteris teſtamenti viginti duo eſſe volumina; & diſtingui in Legem, Prophetas & Hagiographa.* Cap. I ſub finem.

LXXIII. Duodecimo ſeculo complures ſeſe offerunt. Rupertus *monachus S. Laurentij Trajectenſis* (adhibebimus iterum verba Trithemij) *propter incredibilem eruditionem ſuam à Friderico Colonienſi archiepiſcopo inde aſſumtus, & in abbatem Tuitienſis monaſterij ſublimatus, multa præclara opuſcula compoſuit.* Ille itaque libro tertio in Geneſin, cap. XXXI, quum è libro Sapientiæ dictum attuliſſet, *Verùm*, inquit, *hæc ſcriptura neque de canone eſt, neque de canonicâ ſcripturâ ſumta eſt ſententia hæc.* Idem affirmat de libris Iudithæ & Tobiæ, libro XII de divinis officijs, cap. ultimo.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

LXXIV. Honorius, Auguſtodunenſis eccleſiæ presbyter & ſcholaſticus, multa edidit opuſcula, quæ apud ipſum ſub finem libri de luminaribus eccleſiæ ſive ſcriptoribus eccleſiaſticis videri poterunt. Inter ea eſt *Expoſitio totius pſalterij*, in cujus proœmio hæc habet: *Scriptura Veteris teſtamenti Spiritu ſancto auctore à prophetis ſcribitur, & in tria, id eſt, in Hiſtoriam*, (rectiùs dixiſſet, in Pentateuchum Moſis) *in Prophetiam, & in Hagiographiam dividitur. Hiſtoria eſt, quæ præterita narrat; Prophetia, quæ futura nunciat; Hagiographia, quæ æternæ vitæ gaudia jubilat. Hic liber* Pſalmorum *in Hagiographiâ locum poſſidet, qui laudibus æternæ patriæ plenus refulget.*

LXXV. Petrus Mauritius, dictus Venerabilis, abbas Cluniacenſis nonus, multa etiam ipſe ſcripſit, quæ conficiunt magnam partem Bibliothecæ Cluniacenſis ab Andrea Quercetano collectæ & editæ. Contra Petrobruſianos longam ſcripſit epiſtolam, quæ Tractatus titulum poteſt vindicare. Quinque eorum capitula refellit, inter quæ primum, quòd negarent infantes baptizandos. Hoc ipſum refutaturus præmittit, *famâ vulgatum* jam eſſe, eos *majeſtati Veteris ac Novi teſtamenti, quæ jam ab antiquo totum orbem ſubdiderit, detrahere; ſi tamen*, inquit, *verum eſt. Sed quia fallaci rumorum monſtro non facilè aſſenſum præbere debeo, maximè quum quidam vos totum divinum Canonem abjeciſſe affirment, alij quædam ex ipſo vos ſuſcepiſſe contendant, culpare vos de incertis nolo, ſed neceſſariò totum Canonem, qui ab Eccleſiâ ſuſcipitur, vos ſuſcipere debere certis auctoritatibus probo. Si enim, quod omnes affirmant, Evangelium etiam tantùm ſuſcipitis, neceſſariò & reliqua omnia ſuſcipietis. Nec enim poteſtis Evangelio credere, & de his, quæ idem Evangelium ſuſcipit, dubitare.* Suppo-

ſitâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſitâ igitur auctoritate canonicâ quatuor Evangeliſtarum, ex ijs deducit admitti oportere libros tum Novi, de quibus priore loco agit: tum Veteris teſtamenti. Omnes & ſingulos, nec alios quàm qui ſunt in canone Hebræo, & in Prologo galeato enumerantur, recenſet, eorumque auctoritatem, deductione ex Evangelijs factâ, ſtabilit. Primum inter Hagiographa collocat librum Iobi, poſtremum Eſtheræ; quemadmodum etiam Hieronymus in prologo galeato.. Ad hunc ultimum ubi pervenit, quid ſcribat & quomodo concludat hîc legi operæ fuerit precium. *Vltimus*, inquit, *in Hagiographis, hoc eſt ſanctæ ſcripturæ libris, ſequitur liber Eſter, cui auctoritatem aliorum Hagiographorum auctoritas confert. Si enim illi ab Hebraicâ veritate originem trahentes hunc ſocium, & paris auctoritatis, in eodem Hebraico canone habuerunt; ſequitur, quia nullo eorum librorum excepto, omnes pari modo ſuſcipi debuerunt. Sed non ſolùm Chriſtianis, ſed & ipſis Iudaicis literis atteſtantibus, omnes juxta ſupraſcriptum ordinem libri, à libro Iob uſque ad hunc, de quo agitur, librum Eſter, eo ſcilicet non excluſo, ſed addito, paris auctoritatis ſunt. Igitur abſque diſtinctione aliquâ omnes æqualiter ſuſcipi debuerunt. Quod quia ita eſt, quum Chriſtus, Apoſtoli & Prophetæ auctoritatem præcedentibus, & huic libro paribus libris, ſuis teſtimoniis dederint, indubiâ ratione cogente huic quoque libro dignitatem ſimilem contulerunt. Reſtant poſt hos authenticos ſanctæ ſcripturæ libros ſex non reticendi libri, Sapientiæ, Jeſu filij Sirach, Tobiæ, Iudith, & uterque Machabæorum liber. Qui etſi ad illam ſublimem præcedentium dignitatem pervenire non potuerunt, propter laudabilem tamen & per neceſſariam doctrinam ab Eccleſia ſuſcipi meruerunt. Super quibus vobis commendandis me laborare opus non eſt. Nam ſi Eccleſia alicujus*

*precij apud vos eſt, ejus auctoritate aliquid, ſaltem parum quid, à vobis ſuſcipiendum eſt.*

LXXVI. Hugo *presbyter & monachus (* loquimur iterum cum Trithemio *) S. Victoris Pariſienſis, ordinis canonicorum regularium Auguſtini, & Abbas, ut ferunt, ibidem, (* Priorem dicit Paulus Langius *) natione Saxo.* Sic etiam Gobelinus Coſmodromij ætate ſextâ, cap. LIIX: *Henrici* quincti *temporibus ultimis claruit Hugo de S. Victore Pariſiis, natione Saxo.* Ad quæ verba in ſuâ Appendice ὁ μακαρίτης Henricus Meibomius, celeberrimus academiæ hujus hiſtoricus, noſter olim hoſpes & deinde collega conjunctiſſimus, *Hugo*, ait, *ex domo & familiâ comitum Blankenburgenſium ad ſilvam Harcyniam oriundus fuit. Iuvenis vixit in monaſterio Hamersleb ienſi (* alero hinc lapide *) diæceſis Halberſtadenſis, quod teſtatur liber de arcâ animæ, quem monachis ejus loci inſcripſit. Studiorum gratiâ Pariſios miſſus in monaſterio S. Victoris vixit, inde nomen aſſequutus. Epitaphium ejus habet Paulus Langius in Chronico Citizenſi.* Ipſum etiam in gratiam vicinorum noſtrorum, ut ad operam ſtudijs dandam, quantam Hugo dedit, excitentur, adſcribemus.

*Conditur hoc tumulo doctor celeberrimus Hugo,*
*Quem brevis eximium continet urna virum.*
*Dogmate præcipuus, nulliq́ ſecundus in orbe,*
*Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.*

*Velut alter Auguſtinus doctor ſuo tempore celeberrimus eſt habitus*, ait Trithemius: ac obiiſſe ſcribit anno CIↃ CXL; Sigfridus autem Miſnenſis anno CIↃ C XXXIIX. Nunc quid de Canone Veteris teſtamenti ad poſteritatem conſignatum reliquerit, videamus. Libro de Scripturis & ſcriptoribus ſacris cap. ſexto, ubi eâ de re quàm maximè ex
Chr. Hirſ.

insti-

inſtituto agit, hæc habet: *Omnis divina ſcriptura in duobus teſtamentis continetur, Veteri videlicet & Novo. — Vetus teſtamentum continet Legem, Prophetas & Hagiographos.* Mox ſubjicit enumerationem librorum eamdem, quam videre eſt in Prologo galeato. Tandem concludit, *Omnes ergo ſunt numero viginti duo. Sunt præterea alij quidam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Ieſu filij Sirach, & liber Iudith, & Tobias, & libri Maccabæorum, qui leguntur quidem, ſed non ſcribuntur in canone.* Cum hiſce deinde componit & comparat *ſanctorum Patrum ſcripta, id eſt, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Gregorij, Origenis, Bedæ & aliorum doctorum. Hæc,* inquit, *ſcripta Patrum in textu divinarum ſcripturarum non computantur, quemadmodum in Veteri teſtamento, ut diximus, quidam libri ſunt, qui non ſcribuntur in canone, & tamen leguntur, ut Sapientia Salomonis, & cæteri.* Hæc autem ipſa repetuntur & leguntur Excerptionum priorum libro ſecundo, cap. IX; Eruditionis didaſcalicæ libro IV, cap. II; Speculo de myſterijs Eccleſiæ, cap. IIX; Prologo in librum priorem de ſacramentis fidei, cap. VII.

LXXVII. Richardus de S. Victore, natione Scotus, Hugonis tempore claruit, & in eodem, cujus ille vel Abbas vel Prior fuit, monaſterio prope Lutetiam vixit: quin eadem de numero librorum canonicorum, quæ Hugo habet, Exceptionum libro ſecundo, capiti nono inſeruit. Nempe è libris Excerptionum Hugonis decerpti ſunt hi quatuor libri Richardi: imò dum perluſtro & inter ſe contendo, animadverto libros quatuor Richardi (quos ei ſanè Trithemius tribuit) non eſſe diverſos à quatuor prioribus libris Hugonis. Excerptiones itaque dicendæ hæ quoque fuerint, quæ hactenus Exceptiones inſcribuntur. Caput autem, quod utrobique



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

vigeſimum quartum eſt libri primi, decerptum eſt ex Altercatione ſynagogæ & eccleſiæ, de quà ſuperiùs dictum
Num. 72. fuit. Obſervari itaque debet, Bellarminum libro de ſcriptoribus, ubi de hoc Richardo, hisque Exceptionum libris agit, rem acu non tetigiſſe.

LXXIIX. Porrò duodecimo ſeculo vixerunt Gratianus, monachus Bononienſis, qui ex epiſtolis, ſynodis & ſcriptis non minùs incertis & ſubdititijs, quàm certis & genuinis Collectionem canonum, quam ipſe *Concordiam diſcordantium canonum*, alij Decretum vocant, confecit; & Petrus Lombardus, epiſcopus Pariſienſis, qui propter σύϛημα Theologiæ è Patrum ſententijs quatuor libris concinnatum Magiſter ſententiarum appellatur; & Petrus *presbyter eccleſiæ Trecenſis*, *cognomento Comeſtor ſive Manducator, quòd Scripturarum auctoritates in ſuis ſermonibus & opuſculis crebriùs allegaret, quaſi in ventrem memoriæ* (ſic Trithemius loquitur) manducando repoſuiſſet. Sicut annotat Antoninus Summæ hiſtoricæ titulo XIIX, cap. VI, *à quibusdam prædicatur in populis, quòd hi tres ſolennes viri fuerunt germani ex adulterio nati*; & quòd mater in extremis poſita propter filiorum præſtantiam de admiſſo crimine noluerit pœnitete vel dolere. Sed addit, Hoc *non reperitur authenticum. Imò non fuerunt contemporanei, etſi vicini tempore : Gratianus enim fuit ante*
Libro de ſcript. c. 32. *alios duos.* Cæterùm Petrus Comeſtor *ſtudens utilitati* (verba ſunt Henrici Gandavenſis) *in Theologiâ ſtudentium omnes hiſtorias Veteris ac Novi teſtamenti breviavit in unam hiſtoriam, quam vocavit Scholaſticam.* Hinc audit Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ. Quòd autem animadverterit in Hieronymi prologo Iudithæ præmiſſo pro *apocryphis* perperam & *vitio ſcriptoris* hagiographa legi, pridem eſt oſten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſtenſum. Quod tamen ipſum in Tobiam præfanti non venit in mentem. Scribit itaque: *Hanc hiſtoriam Iudæi inter apocrypha ponunt. Hieronymus tamen in prologo dicit INTER HAGIOGRAPHA. Quod ſi eſſet, tunc eſſet in tertio ordine Canonis Veteris inſtrumenti. Sed quia de nullo ordine eſt, dicimus quòd Hieronymus acceperit diffuſiùs Hagiographa, ut includerent etiam apocrypha.* Quem germanum librorum Veteris teſtamenti canonem ſive catalogum ſtatuerit, ex his abundè liquet. Num.46.

LXXIX. Venimus ad ſeculum decimum & tertium, in quo enati Monachi mendicantes, & Doctores, quos conſuevimus Scholaſticos nuncupare. Quum autem Magiſter ſententiarum catalogum librorum Sacræ ſcripturæ nullibi texat aut proponat, atque adeo interpretibus ſuis Scholaſticis de illo agendi occaſionem nullam præbeat, ipſi quoque totam rem ſilentio plerumque tranſmittunt. Non defuerunt tamen inter eos, qui Scripturam commentarijs exponerent: & in univerſam quidem ſcripſerunt è familiâ Dominicanorum ſive Prædicatorum Hugo, è Franciſcanorum ſive Minorum Liranus. Hugo *primus ex illo ordine cathedram Theologiæ meruit adſcendere magiſtralem*, uti quidem memorat Henricus Gandavenſis. Libro de ſcript.c.40 Primus certè ex illo Cardinalis creatus eſt ab Innocentio quarto, qui *pileum rubrum Cardinalibus dedit, quo ſignificari voluit, eos, qui in illum ordinem legerentur, paratos eſſe debere pro libertate eccleſiaſticâ*, id eſt, ut excutiatur omne legitimum imperium, & enervetur ſententia Apoſtolica, Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto, Rom.13.1. *propriam, ſi opus ſit, vitam morti exponere*; ut ſcribit Onufrius Panvinius libro ſecundo de Pontificum & Cardinalium creatione, videndus etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

etiam Annotationibus ad Platinam, cui ſatis fuit dixiſſe, *honeſtandi ordinis cauſâ* datum eſſe galerum rubrum. Barcinonenſis Hiſpanus eſt Onufrio; uti etiam Trithemio. *Primus Concordantias Bibliæ invénit* juxta Antoninum Summæ hiſtoricæ titulo XIX, cap. V, parag. II. Quid de numero & canone librorum Scripturæ ſtatuat, exponit proœmio in Ioſuam. *Diſtinguunt*, ait, Hebræi *Vetus teſtamentum in tres ordines. Primum vocant Legem; ſecundum Prophetas; tertium Hagiographa.* Recenſet deinde libros ſingulorum ordinum eâ planè ratione, quâ Prologus galeatus. Subjicit verſiculos, quales ea tempora ferebant; quos etiam nos hîc annectimus.

*Quinque libros Moſis; Ioſuæ, Iudicum, Samuelis,*
*Et Malachim; tres præcipuos, bis ſexq; Prophetas*
*Hebræus reliquis cenſet præcellere libris.*
*Quinque vocat Legem; reliquos vult eſſe Prophetas.*
*Poſt hagiographa ſunt, Daniel, David, Eſther, & Eſdra,*
*Job, Paralipomenon, & tres libri Salomonis.*
*Lex vetus his libris perfectè tota tenetur.*
*Reſtant Apocrypha: Ieſus, Sapientia, Paſtor,*
*Et Machabæorum libri, Iudith, atque Tobias.*
*Hi quia ſunt dubij, ſub canone non numerantur,*
*Sed quia vera canunt, Eccleſia ſuſcipit illos.*

Nempe ſuſcipit ſive recipit illos Eccleſia, *non ad probationem fidei, ſed ad morum inſtructionem.* Ita mentem ſuam declarat in Expoſitione Prologi galeati, qui juxta ipſum *defendit Sacram ſcripturam contra illos, qui inducunt apocrypha pro veris.* Proœmio in Tobiam verba Petri Comeſtoris,
Num. 78. paullò antè à nobis producta, ſua facit.

XXC. Nicolaus Liranus ad ſequens ſeculum pertinet. Ex Iudæo factus eſt Chriſtianus. Anglicum appellat

lat Trithemius,ſed perperam. Brabantum dicere debuiſſet: epitaphium enim ejus in hunc habet modum:

*Cui veteris perhumana dabat Brabantia Liræ*
*Cognomen: Lirâ nam fuit urbe ſatus.*

De eo Leander de S. Martino præfatione ante hac memoratâ, *Liranus à communi Eccleſiæ noſtræ* hodiernæ Pontificiæ, Tridentino concilio recentioris, *ſenſu diſcedit in libris canonicis recenſendis.* Præfatus enim in librum Tobiæ ab his verbis orditur: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere, Matth. XXIII. Poſtquam auxiliante Deo ſcripſi ſuper libros Sacræ ſcripturæ canonicos, incipiendo à principio Geneſeos, & procedendo uſque ad finem Apocalypſeos; de ejusdem confiſus auxilio ſuper alios intendo ſcribere, qui non ſunt de canone: ſcilicet* ſunt iſti, *Liber ſapientiæ, Eccleſiaſticus, Iudith, Tobias, & libri Maccabæorum, ſecundum Hieronymum in prologo galeato. — Propter quod adſumſi verbum propoſitum, in quo duo poſſunt notari: primum eſt neceſſitas operis præcedentis*, dum dicitur, *Hæc oportuit facere; ſecundum eſt utilitas operis ſubſequentis*, dum dicitur, *Et illa non omittere. Circa primum ſciendum, quòd libri Sacræ ſcripturæ, qui canonici nuncupantur, tantæ ſunt auctoritatis, quòd quidquid ibi continetur, verum tenetur firmiter & indiſcuſſe; & per conſequens* etiam *illud, quod ex hoc concluditur manifeſtè. Nam ſicut in ſcripturis philoſophicis veritas cognoſcitur per reductionem ad prima principia per ſe nota; ſic in ſcripturis à catholicis doctoribus traditis veritas cognoſcitur quantum ad ea, quæ ſunt fide tenenda, per reductionem ad ſcripturas Sacræ ſcripturæ canonicas, quæ ſunt habitæ è revelatione divinâ, cui nullo modo falſum poteſt ſubeſſe. — Circa ſecundum conſiderandum, quòd libri, qui non ſunt de canone, recepti ſunt ab Eccleſiâ, ut ad morum informationem in ea legantur: tamen eorum auctoritas ad probandum ea, quæ in*

*contentionem veniunt, minùs idonea reputatur, ut dicit Hierony- mus: propter quod ſunt minoris efficaciæ, quàm libri canonici.—— Et ſic veritas ſcripta in libris canonicis prior eſt tempore, quantum ad plura; & dignitate quantum ad omnia, quàm ſit illa, quæ ſcribitur in non-canonicis: utilis tamen eſt ad directionem in viâ morum, per quam pervenitur ad regnum cœlorum.* Ad hæc ipſa, quæ hîc tradidit, exorſus in Sapientiæ librum ſcribere, provocat.

XXCI. Brito ex ordine Minorum expoſitiones prologis Biblicis Hieronymi, ut potuit & genius temporum ferebat, addidit; conjunctas antehac Gloſſæ ordinariæ & Poſtillæ Lirani, ſed remotas à poſtremis editoribus. Liranus ipſe ſecundo in ſuam Poſtillam prologo, quo intentionem & modum procedendi exponit, *Omiſſis*, inquit, *prologis à principio Geneſeos incipiam, tum quia reſiduum vitæ meæ non credo ad expoſitionem totius Sacræ ſcripturæ ſufficere, & ideo nolui in exponendis dictis B. Hieronymi vel alterius cujuscumque doctoris immorari; —— tum quia unus alius frater, videlicet Brito, de ordine noſtro, prologos Bibliæ valde ſufficienter expoſuit; quod opus habetur communiter.* Hic Brito itidem premit veſtigia Hieronymi, ut videre eſt ad prologum in Ioſuam; & ad Galeatum, qui, ut ipſe loquitur, *defendit Sacram ſcripturam contra illos, qui inducunt apocrypha pro hagiographis.* Ad prologum in Tobiam, & vocem HAGIOGRAPHA: *Alia litera habet* APOCRYPHA, *quod melius eſt, quia Hieronymus in Prologo galeato numeratis libris canonicis, inter quos iſte non eſt, infert; Quidquid extra hos eſt, inter apocrypha eſt computatum.* Ad prologum in Iudith producit & laudat verba Magiſtri hiſtoriæ Scholaſticæ, qui *vitio ſcriptoris* imputat, quòd legatur HAGIOGRAPHA, quum legi debeat APOCRYPHA. Ad prologum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

gum in libros Maccabæorum : *Notandum, quòd libri Maccabæorum non ſunt de canone : leguntur tamen in eccleſiis per conſtitutionem Romanæ eccleſiæ.*

XXCII. Cæteri Scholaſtici, qui pari modo in Scripturam non ſunt commentati, rem ex profeſſo vix attingunt. Agnoſcunt tamen aliquando diſcrimen. Ita docet Thomas dici poſſe de Samuele, quòd apparuerit Sauli *per revelationem divinam, ſecundum hoc, quod dicitur Eccleſiaſtici XLVI, quòd dormivit, & notum fecit regi finem vitæ ſuæ.* Dici etiam poſſe, *quòd illa apparitio fuerit procurata per dæmones; ſi* videlicet *Eccleſiaſtici auctoritas non recipiatur propter hoc, quòd inter canonicas ſcripturas apud Hebræos non habetur.* Hæc Thomas Primâ, quæſt. XXCIX, art. IIX, ad ſecundum.

XXCIII. Iohannes Semeca Teutonicus, Præpoſitus Halberſtadienſis, gloſsâ in c. Canones, diſt. XVI: *Sapientia Salomonis, liber Ieſu filij Sirach, qui dicitur Eccleſiaſticus, & liber Iudith, & Tobiæ, & liber Machabæorum apocryphi dicuntur, & tamen leguntur; ſed fortè non generaliter.* Gloſſam hanc tribuo Semecæ, quem dixi. Scribit enim Antoninus Summæ hiſtoricæ titulo XIIX, initio capitis ſexti : *Primus gloſſator Decreti ſeu commentator fuit Hugo ſeu Huguitio : ſecundus qui gloſſavit fuit Iohannes Teutonicus; & iſta eſt gloſſa communis cum textu.* Quam poſtea recenſuit Bartholomæus Brixienſis. Obijt autem Semeca, niſi nos fallit inſcriptio tumuli, anno CIↃ CCXLV. Vide de eo Crantzium Saxoniæ libro IIX, c. XXVII: juxta quem commortuus eſt Clementi quarto pontifici; & proinde pluribus quàm viginti annis ſeriùs, ac eſt inſcriptum tumulo.

XXCIV. Guilhelmus Occam Anglus, ſubtilis Scoti

diſcipulus, dictus honorario titulo *Venerabilis inceptor*, de quo Gabriel in Quartum, diſt. XIV, quæſt. II, art. II: *Profundiſſimus veritatis indagator, cujus doctrinam tamquam clariorem frequentiùs imitor.* Is Dialogi parte tertiâ, tractatu primo, libro tertio, cap. XVI ſcripſit, quæ ſequuntur. *Secundum Auguſtinum ſolis ſcriptoribus Bibliæ deferendus eſt hic timor & honor, ut non credantur errare in aliquo: qualis timor & honor nulli deferendus eſt poſt ipſos. Secundum Hieronymum etiam in prologo in librum Proverbiorum, & Gregorium in Moralibus, libri Iudith, Tobiæ & Maccabæorum, Eccleſiaſticus & Sapientiæ non ſunt recipiendi ad confirmandum aliquid in fide. Dicit enim Hieronymus, ſicut Gregorius: Iudith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed inter canonicas ſcripturas non recipit.*

XXCV. Hervæus Natalis Brito, ordinis Prædicatorum Magiſter generalis, commentario in epiſtolas Paulinas operibus Anſelmi inſerto, ad Roman. III, I. *Nos credimus veras eſſe ſcripturas, quas Iudæi tradiderunt nobis; & à nullâ aliâ gente libros divinæ auctoritatis recepimus.*

XXCVI. Poſt initium ſeculi decimiquincti ſynodus Conſtantiæ habita finem accepit anno ejus ſeculi decimo octavo, menſe Aprili. Illa, quum Eccleſia Latina per annos fere XL diro Romanorum pontificum ſchiſmate laboraſſet, ſanxit *generali concilio quemlibet, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis, exiſtat, teneri obœdire in his, quæ pertineant ad fidem & exſtirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris*; tribus Pontificibus exauctoratis Martinum quinctum ſurrogavit; decrevit etiam frequentia in poſterum generalia concilia eſſe celebranda, *ita quòd primum à fine hujus concilij in quinquennium immediatè ſequens, ſecundum à fine illius in ſeptennium,*

Seſſ. 4.

Seſſ. 39.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*ptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuò celebrentur.* Iuxta quod decretum novus Pontifex approbante Imperatore & Concilio locum futuri concilij *civitatem Papienſem deputavit.* Ibi conſtituto tempore incoatum eſt concilium, ſed *inde certis ex cauſſis ad civitatem Senenſem translatum. In quo Papiæ incoato & Senis celebrato Baſileenſis civitas pro celebratione proximè futuri generalis concilij poſt ſeptennium celebrandi fuit electa & debitè aſſignata.* Ita narratur in Tomis conciliorum, & adjicitur inſtrumentum ſolenniter ſuper hac re confectum. Iulianus Cardinalis epiſtolâ ad Eugenium quartum, operibus Aeneæ Silvij inſertâ: *A fine concilij Conſtantienſis quinquennio elapſo celebratum eſt Papienſe vel Senenſe, à cujus fine elapſo ſeptennio cœptum eſt celebrari Baſileenſe.* Quid Papiæ vel Senis tractatum, nulla acta teſtantur. Agendum autem erat de reformatione, à quâ ſibi Pontifex & Curia, exemplo præſertim Conſtantienſi nupero territi, malè metuebant. Qui *ſcandalizabantur deformitate cleri,* dicebant, *Fuimus deluſi in concilio Senenſi.* Ita enim in epiſtolis ad Eugenium loquitur Iulianus Cardinalis, primùm à Martino, deinde poſt hujus obitum ab Eugenio ipſo deſignatus, qui in concilio Pontificis locum ſuppleret & præſideret. Nihilominus vix incoatum emiſsâ Bullâ diſſolvere conatur Eugenius. Patres contrà niti, & negare tantam poteſtatem Pontifici in concilium competere; quin potiùs Concilio jus eſſe in refractarium Pontificem. Deponunt igitur Eugenium, & Amedeum Sabaudiæ ducem, Felicis quarti titulo auctum, ſubſtituunt. Interea animam agebat Conſtantinopolitanum imperium, Turcarum viribus impar, & ſubſidiarias occidentis opes anxiè reſpectabat. Tenebatur Eugenius deſiderio e-

Seſſ. 44.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

vadendi moleſtias à Baſileenſibus illatas, & ſubjiciendi ſuo dominatui eccleſiam Græcam. Invitat igitur, ut unionis ſanciendæ ergo in Italiam ad concilium Ferrariæ indicendum veniant. Obſequuntur illi, veniuntque Imperator Iohannes Palæologus, Ioſephus patriarcha, & non pauci epiſcopi.

XXCVII. Antoninus σύγχρονος Summæ hiſtoricæ titulo XXII, initio cap. XI rem in hunc modum deſcribit: *Patriarcha, & Imperator cum fratre ſuo, & magno comitatu numero ferè quingentorum Conſtantinopoli ſe moventes, Venetias applicuere. Ibi percipientes Concilium generale Baſileæ congregatum diſſentire ab Eugenio, aliquandiu ſubſederunt animo ſuſpenſi de loco acceſſus ſui: nec enim congregati Baſileæ poſt diſſolutionem & irritationem factam Conciliÿ per Eugenium deſiſtebant à proſequutione incepti: ſed ſollicitè invitabant Græcos Baſileam ad Concilium id accedere. Prævaluit tamen auctoritas Eugenÿ cum ſuaſionibus plurimorum, ut ad præſentiam ſuam ſe conferrent.* E Græcis Georgius Phranza itidem σύγχρονος huc facientia narrat Chronici ſui libro II, cap. XIII & ſeqq. Laonicus autem Chalcocondylas interprete Conrado Clauſero Tigurino in hunc modum: *Johannes Græcorum rex legatos ire jubet ad Romanum pontificem Eugenium, petentes ut concilium celebraretur, quò inter utrosque religionis contentionem decenter componerent. — Legati in Germaniam venere. Eâ tempeſtate Germani Baſileæ erant congregati, diſſidentes ſententiis contra Eugenium Pontificem: quem reprobantes, crearunt Pontificem nomine Felicem, virum inter ipſos in primis ſpectatæ probitatis. Hunc conciliÿ conſenſu Pontificem declararunt. Ambo igitur Pontifices triremes inſtruunt, & Ioannem Byzantÿ regem accerſebant. Vterque enim ſub ſe concilium agitari, & religionis controverſiam, quæ*

*cum Græcis interceſſerat, finiri volebat. Quum ab utroque veniſſent triremes, rex quidem benignis verbis & placidè concilij Baſileenſis legationem dimittebat; dicens, ſe cum Romanis & Venetis, & cum reliquâ Italiâ jam antè colloqutum, qui omnes ſe Romam proficiſci jubeant. Aſſumens itaque Byzantij ſacerdotes, & Græcorum ſapientiſſimos & doctiſſimos, navigabat in Italiam.* Quoniam in rem accuratiùs inquirimus, audiamus etiam Sabellicum. *Fuerat,* ait, *id negotium per legatos motum, Martino adhuc ſedente. Tentavit Baſileenſe concilium Palæologum magnis ſollicitationibus pellectum ad ſe trahere, ut res Baſileæ incoata majoris eſſet ponderis: paratæq; fuerant naves in Narbonenſi Galliâ apud Maſſiliam, quæ eum ex Græcia deportarent: ſed Eugenij auctoritatem maluit ille ſequi.* Enneade 10, lib. 3. Et ſanè è viciniore Italiâ præſentius auxilium ſperari poterat, quàm aliunde. Exſtat etiam epiſtola Georgij Trapezuntij, Romæ tunc degentis, quâ Imperatorem hortatur, ut poſthabitâ Germaniâ & Galliâ in Italiam veniat. Sed pergat Sabellicus, compendio rem enarrans. *Veneti, qui ejus concordiæ erant cupidiſſimi, naves egregiè ſtructas dedere, quibus Palæologus eſt in Italiam advectus. Foſcarus princeps eum venientem honorificentiſſimè excepit. Ex Venetiis Imperator Ferrariam proceſſit, quò Pontifex ex Bononia ſe contulerat.* Ferrariæ fuerunt habitæ ſeſſiones XVI; Florentiæ, quò propter ingruentem peſtem tranſibatur, novem: in quibus omnibus nihil fere actum, niſi quòd de adjectione voculæ FILIOQVE ad ſymbolum, & de proceſſione Sancti ſpiritus operosè aut contentiosè diſputatum. Interea Græcos ſuprema urgebant pericula. Dum enim procul domo aberat Imperator, Amurates *miſſis copiis Conſtantinopolin oppugnare conſtituit; id quod omnes conſiliarij ejus pro recto confirmabant & approbabant, uno Ha-*

*limbaſſa*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*limbaſſa excepto.* Mittunt proceres in Italiam, qui Imperatori indicium faciant. *Interea ancipites cogitationes & fluctus curarum ingentes Conſtantinopoli, dum ſciremus*, ait Phranza, *quid conſilium Halimbaſſæ promoviſſet.* Sanè Georgius Scholarius populares ſuos ad ineundam unionem enixè & prolixè cohortatus (exſtant ſcripta & orationes inter Acta ſynodi) his utitur verbis: *Neque Latinorum neque Barbarorum quiſquam ignorat*, πρώτην αἰτίαν ἑνώσεως τὴν τῆς βοηθείας εἶναι ἐλπίδα, *primariam unionis cauſſam eſſe ſpem auxilij, quodq́ nulla alia ſalutis via nobis ſuperſit.—— Comprehendite animis veſtris quod præcipuum eſt, quanta ſit præſentis magnitudo periculi, in quo verſamur. Auditis enim Barbarum maximis copiis terra mariq́ comparatis bellum contra noſtram urbem inſtruere, fortaſſe etiam antequam certus ad nos nuncius allatus ſit, illam obſidet, aut quamprimum obſidebit. Eam porrò ſcitis omnes, ſi non adſit adventitium ſubſidium*, ἄνευ τῆς ἔξωθεν συμμαχίας, *ne primum quidem impetum hoſtis laturam.*

XXCIIX. Hæc de ſynodo Florentinâ, quam qui Græcorum admitterent, Octavam vocabant, pleniùs & accuratiùs aliquanto innoteſcere certis de cauſſis voluimus. Poſt diuturnas itaque ſed irritas de aucto ſymbolo & proceſſione Sancti ſpiritus altercationes, tandem, quaſi ex abrupto, de pluribus, quàm de quibus diſputatum hactenus fuerat, convenit. In literis unionis ab Eugenio promulgatis declaratur conſenſus de proceſſione Spiritus à Patre, Filioque, & adjectione ultimæ hujus voculæ ad ſymbolum factâ; item de Purgatorio, & animabus poſt purgationem Deum videntibus; deinde de primatu Romani pontificis. Hæc tria ſunt capita, quibus unio, quamquam minimè durabilis, innixa. Nam

quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

quod attinet celebrationem Euchariſtiæ in azymo vel fermentato, cuique parti ſuus mos permiſſus fuit. Has literas quum recitaſſet Antoninus, qui nonnullis habitis diſputationibus præſentem ſe fuiſſe teſtatur, ſubjicit: *Errant Græci in tribus communiter. Primò, quòd Spiritus ſanctus procederet à Patre, ſed non à Filio. Secundò, quòd non erit purgatorium poſt hanc vitam. Tertiò, quòd Eccleſia Orientalis & Conſtantinopolitana non eſſet ſub Eccleſiâ Romanâ, nec Patriarcha Conſtantinopolitanus eſſet inferior Romano pontifice. Horum quodlibet eſt hæreticum. In alijs ritibus ſuis, qui non important hæreſim (licet rationabiliores ſint ritus Eccleſiæ Occidentalis ſeu Romanæ) fuerunt permiſſi manere, ſicut quòd celebrent in fermentato; quòd baptizent in aliâ formâ quàm nos, videlicet, Baptizetur ſervus Dei N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Item quòd ordinati in ſacris utantur matrimonio contracto ante ſuſceptionem ipſorum ordinum ſacrorum. Item quòd nutriant barbam. Item quia dent ſacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie omnibus, etiam parvulis, & multa alia.*

Summæ hiſtor. tit. 22, c. 11, §. 1.

XXCIX. *Dum hæc gerebantur* (atteximus narrationem Actis inſertam) *Armeniorum patriarchæ legati, viri ſanè virtute plurimâ præditi, ad ſynodum ipſam venerunt, & ſummum pontificem venerati fuerunt, nec non Imperatorem ſalutaverunt, dicentes ſe ſuamq́ue eccleſiam cum catholicâ conjungi, ac ipſum ſynodi decretum piè ſervare velle: qui quidem benigniſſimè ſuſcepti vehementiſſimeq́ue laudati, ac magno honore affecti, unà cum Græcis Florentiâ diſceſſerunt.* Exſtat interim Actis immixta ſub Eugenij nomine Inſtructio Armeniorum, ſeptem ſacramenta ſecundum ritus Romanos & alia præſcribens. Data eſt anno CIↃ CCCCXXXIX, x Kal. Decembr. At Græci, qui ſuperiore anno, menſe

V Februa-

Februario in Italiam venerant, hoc anno, menſe Iulio diſceſſerunt. Videtur igitur Eugenius iſtâ confectâ Inſtructione animo ſuo magis morem geſſiſſe, quàm Armenijs quidquam, quod obſervaturi ipſi eſſent, præſcripſiſſe. Auctor *Compendioſæ ſeßionum ſynodalium deſcriptionis*, quæ in ultimâ Binianâ editione legitur, annotat Græcos & Armenios Florentiâ diſceſſiſſe *anno Domini* CIↃ CCCC XXXIX, *circa diem menſis Iulij vigeſimum ſecundum vel tertium*. Per illam autem Eugenianam Inſtructionem in anguſtias conjectus, *Neceſſariò*, inquit, *colligitur Græcos & Armenos hucuſque Florentiæ permanſiſſe; vel, quod probabilius eſt, eamdem ſynodum poſt abitum Græcorum & Armenorum aliquot ſeßionibus, quarum acta nulla exſtent, continuatam; vel ſaltem aliam quandam, ab hac œcumenicâ ſynodo diverſam, eodem anno* CIↃ CCCC XXXIX, *decimo Kal. Decemb. quo die ſcripta habetur prædicta Eugenij ſynodica epiſtola, celebratam fuiſſe*.

XC. Majori adhuc difficultati obnoxium eſt, quum Inſtructio iſta, uti in Tomis conciliorum legitur, non niſi octo capita contineat, quòd tamen in Summâ, quam Bartholomæus Carranza confecit, & Franciſcus Longus Coriolanus ſequitur, decem numerantur, & quidem ita, ut poſtrema duo, quæ in Tomis exſtant, omittantur, & tria alia planè diverſa (nam nonum hîc quoque deſideratur) ſubſtituantur. Neque enim in Breviarijs vel Summis occurrere ſolet, quod ab amplis & vaſtis voluminibus (qualia ſunt editiones Surianæ; Veneta auſpicijs Sixti quinti, ut titulus habet, emiſſa; Vaticana; utraque Biniana: in quibus omnibus nihil tale apparet) abeſt. Septimum autem caput in Summâ Carranzæ (unde etiam Becanus accerſit, & non è Tomis) hoc eſt: *Verum*

Manuali controv.

*atque*

*atque eumdem Deum, Veteris ac Novi teſtamenti, hoc eſt Legis & Prophetarum atque Evangelij profitemur auctorem, quoniam eodem ſpiritu inſpirante, utriusque teſtamenti ſancti loquuti ſunt, quorum libros ſuſcipit & veneratur Eccleſia: qui titulis ſequentibus continentur.* Sequitur autem catalogus laxior, qualem etiam ab Auguſtino proponi pridem diximus. Neque quidquam obſtat, quin pari modo & ſenſu capiatur. Quamquam hæc ipſa, quæ attulimus, in magno dubio relinquunt, num talem Eugenius umquam propoſuerit. Si propoſuit, videri poſſit corrigere voluiſſe priſcam & communem Græcorum ſententiam. Quamquam ne id quidem neceſſarium foret affirmari. Ipſa verò Florentina ſynodus, ut ex dictis patuit, ne quidem Latinorum reſpectu generalis haberi potuit. Magna enim eorum pars Baſileæ congregata Eugenium damnabat. Neque ferè concilio ex occidentalibus alij, quàm meri Itali, ſubſcribunt. Conſtitutum quidem fuerat ſpacium temporis quadrimeſtre, intra quod è Baſileâ & ex alijs occidentis partibus invitati adeſſent: ſed & quum elapſo tempore *nec Baſileâ quiſquam, nec aliquis alius Italus*, nedum Gallus aut Germanus, *veniret*, dixit Eugenius: *Vbi ego & Imperator* Græcus (Latini, qui tunc Albertus ſecundus erat, defuncti Sigiſmundi gener, nulla habetur ratio) *ac Patriarcha ſumus, ibi Chriſtianorum omnium ſynodus eſſe creditur.* Sed credat Iudæus Apella, non ego. *Erant tunc duo œcumenica concilia*, ſcribit Iacobus Meyerus in Annalibus Flandricis, *Baſileenſe & Florentinum, quæ adeo nihil habebant concordiæ, ut utrumque alterum ſchiſmaticum, diabolicum, ſynagogamq́ Satanæ nominaret.* Interim *Teutonici*, ut memorat Antoninus, *ſequeſtrantes ſe ab utroque & Eugenio & Felice, conſtituerunt ſe neutrales.* Neutrum

Acta ante ſeſſion. 1.

Libro 16.

Tit. 22. c. 8. §. 18.

igitur, & proinde nullum agnoverunt Pontificem: nec tamen propterea credendum fuerit Eccleſiam Teutonicam interiiſſe. Iacobus Philippus Bergomenſis Supplemento Chronicorum in anno cIↄ cccc xxxIIx: *Alij Felicem, alij Eugenium ſequebantur: alij erant qui neutrales dicebantur, quia neutri obtemperabant.* Faſciculus temporum: *Felix dux Sabaudiæ, princeps devotus & ſenex electus eſt in Papam à concilio Baſileenſi, depoſito Eugenio, & fuit ſchiſma longo tempore, & non habuit magnam obœdientiam, quia neutralitas ſubintravit.* Sed quidquid ſit de pontificatu, vel de concilio, vel de ſententiâ Eugenij, ſi vel maximè voluit & definivit, libros, quos recenſet, omnes ſtrictè & propriè canonicos pariſque auctoritatis eſſe, Latinorum tamen præſtantiſſimi, tum qui circa ea tempora vixerunt, tum qui pòſt fuerunt, non majoris hanc ejus fecerunt definitionem, quàm Græci Decretum unionis.
Libro 6. Nam Græci, ut Chalcocondylas ſcribit, *domum reverſi, non ampliùs his, quæ convenerant in Italiâ, ſtare voluerunt: verùm apprehendentes ſententiam diverſam, noluerunt ampliùs in religionis negocio adhærere Romanis.*

XCI. Sed de Latinis, quod diximus, nunc oſtendamus. Antoninus, quem divis Romanis adſcripſit Hadrianus ſextus, quum haberetur Florentiæ concilium, diſputationibus aliquando interfuit, ut de ſe ipſemet teſtatur; poſtea iſtius urbis creatus eſt archiepiſcopus. Noſtram rem tangit Summæ theologicæ parte III, tit. XIIX, cap. VI, parag. II. Verba, quibus opus eſt, ſubjicimus. *Hebræi ſecundum Hieronymum in prologo galeato librorum Veteris teſtamenti quatuor faciunt partes. Et primam appellant Legem: — ſecundam Prophetas: — tertiam Hagiographa: —— quartam, quam tamen non ponunt ipſi Hebræi in cano-*

nem

*ne Scripturarum ſanctarum, ſed appellant Apocrypha, faciunt de aliis quinq; libris, ſcilicet ſunt Sapientia, Eccleſiaſticus, Iudith, Tobias, & liber Machabæorum diſtinctus in duos libros. Vnde & de his quinque libris dicit Hieronymus in prologo ſuper Iudith, quòd auctoritas eorum ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur. —— Et idem etiam dicit Thomas Secundâ ſecundæ* (in hunc Thomæ locum fateor me nondum incidiſſe) *& Nicolaus de Lirâ ſuper Tobiam, ſcilicet quòd iſti non ſunt tantæ auctoritatis, quòd ex dictis eorum poſſit efficaciter argumentari in his, quæ ſunt fidei, ſicut ex aliis libris Scripturæ ſacræ. Vnde fortè habent auctoritatem talem, qualem habent dicta ſanctorum doctorum approbata ab Eccleſiâ.* Hæc Antoninus.

XCII. Huic coætaneus Alfonſus Toſtatus, vir ſui ævi maximus. Quid ſtatuat, audivimus ſuprà num. LXIV. Sed ut certiùs de ſententiâ tanti viri conſtet, hîc eam uberiùs proponemus. Commentario quidem in Prologum galeatum de libro Sapientiæ in hunc modum loquitur: *Nos tamen Eccleſiæ auctoritate inter libros authenticos illum ſuſcipimus, atque in eccleſiâ ſuis temporibus legimus.* Quæſt. 28. De Eccleſiaſtico: *Iſtum librum quamquam Iudæi numquam habuerint in canone Scripturarum, Eccleſia tamen ſuſcipit atque legit.* De libro Iudith: *Hæc ſunt vera ſecundum Hebræos. Apud nos ſecus eſt. nam liber Iudith inter authenticos libros receptus eſt, quum approbaverit illum Eccleſia in ſynodo Nicænâ, & receperit in numero ſacrarum ſcripturarum, ut ait Hieronymus in prologo ſuper Iudith: alioquin enim Eccleſia non legeret illum in divinis miniſteriis.* De libro Tobiæ: *Quum dicitur* Quæſt. 29. *hîc, quod non eſt Tobias in canone, intelligendum eſt ſecundum Hebræos, & tamen Eccleſia ſuſcepit eum in canone ſuo, quum legat eum in divinis miniſteriis.* Et paullò pòſt: *Etiam libri Macabæ-*

*cabæorum recipiuntur ab Eccleſiâ tamquam authentici.* Sic ibi quidem ille: ubi tamen manifeſtò patet, & ab ipſo ſæpiculè inculcatur, authenticum ei eſſe, quod in Eccleſiâ legatur & legi rectè poſſit.

XCIII. Longè autem illuſtrius tum ſuam tum Latinæ eccleſiæ ſententiam explicat vir eximius Præfatione in Matthæum, cujus quæſtione primâ ita legimus: *Computatio noſtra communis eſt, quòd computentur omnes libri, quotquot Eccleſia legit & ſuſcipit, cujuscumque ordinis vel canonis ſint, etiamſi apud Judæos in apocryphorum numero deputentur.* Quæſtione ſecundâ: *Alij ſunt libri, qui licet ab Eccleſiâ teneantur, in canone tamen non ponuntur, quia non adhibet illis Eccleſia hanc fidem*, nempe quòd auctores eorum ſcripſerint dictante Spiritu ſancto, atque adeo errare nequiverint: *nec jubet illos regulariter legi aut recipi, & non recipientes non judicat inobœdientes aut infideles. Hoc autem eſt propter duo. Primò, quia Eccleſia non eſt certa de auctoribus eorum; imò neſcit, an Spiritu ſancto inſpirati ſcriptores eorum dictaverint eos. Secundò, quia Eccleſia non eſt certa circa tales libros, an ultra id, quod habuerunt à proprijs auctoribus, hæretici aliquid miſcuerint vel ſubtraxerint. Tales autem libros Eccleſia recipit, permittens eos ſingulis fidelibus legere: ipſa quoque in officijs ſuis illos legit propter multa devota, quæ in illis habentur: neminem tamen obligat ad neceſſariò credendum id, quod ibi habetur; ſicut eſt de libro Sapientiæ Salomonis, & de Eccleſiaſtico, & de libro Macchabæorum, & de Iudith, & de Tobia. Iſti enim licet à Chriſtianis recipiantur, & probatio ex eis ſumta ſit aliqualiter efficax, quia Eccleſia iſtos libros tenet; contra hæreticos tamen, aut Hebræos, ad probandum ea, quæ in dubium veniunt, non ſunt efficaces.* Quæſtione tertiâ; *Libri dicuntur apocryphi dupliciter. Vno modo, quia non conſtat de eorum ſcriptoribus,*

ctoribus, an Spiritu ſancto dictante ſcripſerint, & etiam non conſtat de omnibus, quæ in eis habentur, an vera ſint. Non eſt tamen in eis aliquid, quod manifeſtè falſum ſit, vel quod valde ſuſpectum ſit de falſitate. Alio modo dicuntur libri apocryphi, de quorum auctoribus non conſtat, an à Deo ſint inſpirati, & inſuper multa, quæ habentur in ipſis libris, vel ſunt manifeſtè falſa, vel de errore valde ſuſpecta. Accipiendo primo modo libros apocryphos, Scriptura non ponit illos in canone librorum ſuorum, ita ut debeat illis fides ex neceſſitate adhiberi: permittit tamen volentibus legere, quòd legant, quia non videtur inde ſequi aliquod inconveniens: ipſa quoque Eccleſia illos legit. Accipiendo ſecundo modo apocryphos libros, non ſolùm Eccleſia non ponit illos in canone, imò nec aliquo modo ponit eos cum libris ſuis, nec legit, nec legentibus favet: licet non omnino prohibeat. Annunciat tamen illos libros eſſe ſuſpectos valde de falſo, ut caveant quando legerint, & videant quibus fidem adhibeant. Primo modo ſunt apocryphi libri quidam, qui ponuntur extra canonem veteris teſtamenti, computantur tamen inter libros Sacræ ſcripturæ, ſcilicet liber Sapientiæ, & Eccleſiaſticus, & Iudith, & Tobias, & libri Machabæorum: de auctoribus enim horum non conſtat Eccleſiæ, an Spiritu ſancto dictante ſcripſerint: non tamen reperit in eis aliquod falſum, aut valde ſuſpectum de falſitate, ſed potiùs in eis eſt doctrina copioſa, ſancta & devota: ideo Eccleſia legit illos, & computat inter libros ſuos. Sic dicit Hieronymus in prologo ſuper Iudith, quòd liber Iudith, qui eſt de apocryphis, ab Eccleſiâ recipitur, quia Synodus Nicæna legitur eum inter libros ſacræ Scripturæ computaſſe.

XCIV. Poſt Antoninum & Toſtatum eodem ſeculo vixit Dionyſius Carthuſianus, qui titulum Doctoris ecſtatici meruit, in univerſa Biblia commentatus, & mole editorum voluminum, quæ tamen deſcriptis aliorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

rum ſententijs ſtipare ſolet, admirandus. Ille igitur Enarratione in Geneſin, art. quarto, veſtigijs Hieronymi inhæret, quum ſcribit: *Sicut in prologo ſuper libros Regum, ſanctus ait Hieronymus, viginti duo ſunt libri Veteris teſtamenti. Hebræi enim dividunt ſcripturam Veteris teſtamenti in tria, hoc eſt, in Legem, in Prophetas, & in Hagiographa.* Cætera nihil opus eſt adſcribi.

XCV. Devenimus tandem ad ſeculum XVI. Sub initium ejus occurrit ille, qui in Biblia cum Poſtillâ Lirani junctisque Gloſſis ordinariâ & interlineari Baſileæ anno CIↃ IↃ VI edita præfatus eſt; cujus etiam ſuperiùs

Num. 46. facta fuit mentio. Præfationem, quam diximus, ita orditur: *Quoniam ſunt multi, qui ex eo, quòd non multam operam dant Sacræ ſcripturæ, exiſtimant omnes libros, qui in Bibliâ continentur, pari veneratione eſſe reverendos atque adorandos, neſcientes diſtinguere inter libros canonicos & non-canonicos, quos Hebræi inter apocrypha computant; unde ſæpe coram doctis ridiculi videntur, & perturbantur ſcandalizanturq́, quum audiunt aliquem non pari cum cæteris omnibus veneratione proſequi aliquid, quod in Bibliâ legatur: idcirco hîc diſtinximus & diſtinctè numeravimus, primò libros canonicos, & poſtea non canonicos: inter quos tantum diſtat, quantum inter certum & dubium. Nam canonici ſunt confecti Spiritu ſancto dictante: non-canonici autem ſive apocryphi, neſcitur quo tempore quibúſve auctoribus ſint editi. Quia tamen valde boni & utiles ſunt, nihilq́ in eis, quod canonicis obviet, invenitur; ideo Eccleſia eos legit & permittit, ut ad devotionem & ad morum informationem à fidelibus legantur. Eorum tamen auctoritas ad probandum ea, quæ veniunt in dubium aut in contentionem, & ad confirmandam eccleſiaſticorum dogmatum auctoritatem, non reputatur idonea: prout dicit beatus Hieronymus in prologis ſuper Iudith, & ſuper libros Salomonis.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*monis. At libri canonici tantæ ſunt auctoritatis, quòd quicquid ibi continetur, verum tenet firmiter & indiſcuſſè.* Deſcribit deinde nonnulla ex Lirano, antea nobis audita, ſequuntur etiam alia de voce HAGIOGRAPHA Hieronymo in vicem vocis APOCRYPHA *ſcriptoris vitio* inſertâ, pridem producta. Num. 80.

XCVI. Sequitur Franciſcus (ita vocari voluit, ex quo Franciſcanæ familiæ nomen dedit, antea Gonzalus dictus) Ximenius Ciſnerius, è monacho archiepiſcopus Toletanus, regnorum Caſtellæ archicancellarius, & Cardinalis: cujus vitam & res geſtas octo libris deſcripſit Alvarus Gomecius. Hujus ſtudio & impenſis, quæ ad *ſummam quinquaginta millium, & ampliùs, aureorum* adſcenderunt, debentur inſignia & celebria Complutenſia Biblia. *Duravit*, ait Gomecius, *ab anno* CIↃ IↃ II *annos continuos plus minùs quindecim de ſacris Biblijs edendis cura, ut penè cum Ximenij vitâ finem quoque editio ſuſceperit.* Prodiit itaque poſt ejus obitum, qui in annum ſeculi XVII, VI Eid. Novembris incidit, ex auctoritate & conſenſu Leonis decimi pontificis, *motu proprio & ex certâ ſcientia opus comprobantis, & ut tale in lucem per doctorum & aliorum manus liberè de cætero venire poſſit, concedentis.* Inſcripſerat verò Leoni ipſe Ximenius: præfatus autem lectorem inſtruit, quòd *Pentateuchus triplicem linguam habeat, Hebraicam videlicet, Chaldaicam & Græcam*, cum ſingularum interpretationibus Latinis; *Hagiographi & Prophetales duplicem, Hebræam & Græcam cum duabus correſpondentibus Latinis. At verò*, inquit, *libri extra canonem, quos Eccleſia potiùs ad ædificationem populi, quàm ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam recipit, Græcam tantùm habent ſcripturam,* Libro 8.

X *ſed*

*ſed cum duplici latinâ interpretatione, alterâ B. Hieronymi, alterâ interlineari de verbo ad verbum.*

XCVII. Cardinali Cardinalem jungamus. Thomas (ante monachatum Iacobus) de Vio Cajetanus commentarium ſuum in Eccleſiaſten his verbis claudit: *Sic finitur Eccleſiaſtes cum omnibus Salomonis & Sapientiæ libris. — Reliquos autem, qui vocantur libri ſapientiales, quoniam Hieronymus extra canonicos ad auctoritatem fidei ſupputat, omittendos duximus, ad Prophetarum oracula properantes.* Ita ſcripſit Romæ anno CIↃ IↃ XXXIV, die XXIII Iunij. Poſt exactum autem menſem, die X Auguſti, rebus humanis exceſſit, quũ jam ad Prophetas ſe contuliſſet, ultra tertium Ieſaiæ caput non progreſſus; deſtinatus votis omnium, ſi oratori, qui eum laudavit, credimus, Pontificatui, paullò mox per obitum Clementis ſeptimi vacaturo.

XCIIX. Iodocus Clichtoveus ad Damaſceni librum IV, cap. XIIX iſta habet. *Non modò hi duo libri* Sapientia & Eccleſiaſticus *non numerati ſunt in canone ſacrorum librorum, ſed etiam Tobias, Iudith, & Maccabæorum à numero canonicorum voluminum veteris inſtrumenti ſunt excluſi, quemadmodum in prologo librorum Salomonis teſtatur Hieronymus.*

XCIX. Iohannes Driedo Theologus Lovanienſis libros quatuor de Eccleſiaſticis ſcripturis & dogmatibus Iohanni tertio Luſitaniæ regi dedicavit anno CIↃ IↃ XXXIII. Primo tractat de canone ſive catalogo librorum Sacræ ſcripturæ: cujus capite ſecundo proponit quaſdam, ut ipſe vocat, *difficultates*, ſolvitque capite quarto. Inter eas tertia, quòd Iſidorus videatur pugnare cum Hieronymo: *deinde cur in prologo galeato Hieronymus libros Iudith & Tobiæ inter apocrypha numeret, quos tamen in prologis*

*ſuper*

*ſuper Iudith & Tobiam deſiniat apud Hebræos inter hagiographa numerari, & nihilominus de canone ſacrarum literarum eſſe ſeparatos.* Solvit autem juxta ſententiam Magiſtri hiſtoriæ ſcholaſticæ, pridem expoſitam. *Quòd ſi non placeat*, inquit, *mendoſum eſſe codicem, dicemus duplicia eſſe apud Hebræos Hagiographa, ſicut & diximus duplicia eſſe apocrypha. Hagiographa, id eſt, ſanctorum ſcripta, quædam ſunt, quorum auctoritas idonea eſt ad corroborandum ea, quæ ſunt fidei. Hujus generis ſunt Hagiographa in canone Bibliæ. Alia verò ſunt Hagiographa, id eſt, ſancta, vel ſanctorum ſcripta, quorum auctoritas ad aſſertiones fidei corroborandas non ſic eſt idonea, quamvis habeantur vera & ſancta, ſicut poſt canonem novi teſtamenti editum habentur Hieronymi, Auguſtini ſcripta, quæ vocantur Hagiographa. Et hujus generis apud Hebræos ſunt hiſtoriæ Iudith, & Tobiæ, etiam Eccleſiaſticus, & Machabæorum primus: quos ſanè libros quamvis habeant & legant, non tamen inter canonicos libros connumerant, ſed inter Apocrypha, non quòd falſa ſint, ſed quòd tales ſint, quorum occulta origo non claruit toti eorum Synagogæ. Tertium autem & quartum Eſdræ, ſecundum Machabæorum, trium puerorum hymnum, Suſannæ, ac Belis draconisque hiſtorias, (fabulas* appellat Hieronymus*) aut non habent, aut prorſus rejiciunt & confictas tradunt.* —— *Eccleſia tamen Chriſtiana propter auctoritatem veterum quorumdam ſanctorum, qui leguntur uſi fuiſſe teſtimoniis ex hujusmodi hiſtoriis, easdem piâ fide legit, & non prorſus rejicit, non contemnit, tametſi non pari auctoritate recipiat illos cum ſcripturis canonicis.* Prol. in Daniel.

C. Hactenus itaque diſcrimen inter libros canonicos propriè dictos & eccleſiaſticos, juxta ductum Prologi galeati, in eccleſiâ occidentis & à doctoribus Latinis accuratè obſervatum. Ex quo autem reformatio



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

eccleſiæ dudum deſiderata per peculiarem numinis providentiam, occaſione Indulgentiarum juſſu vel permiſſu Leonis decimi nimis ſive imprudenter ſive impudenter deprædicatarum, in Germaniâ cœpit; & quod eam Pontifex non admitteret, ſed diris proſequeretur, ſchiſma exortum eſt: ex eo â plerìſque judicatum fuit, vulneri medicinam rectiùs fieri non poſſe, quàm per generalem occidentalis eccleſiæ ſynodum. Qualem tamen Pontifices, niſi in Laterano aut ita celebretur, ut totam in ſuâ poteſtate habeant, ægerrimè admittunt. Leoni decimo ſuffectus eſt Hadrianus ſextus, Vltrajecto oriundus, Caroli quincti quondam præceptor,
Anno 1523. cujus loco Hiſpaniæ tunc præerat; è quâ Romam profectus inde ad comitia, quæ Norimbergæ celebrabantur, nuncium miſit Franciſcum Cheregatum, epiſcopum Fabrianenſem, per eum ingenuè confeſſus: *Scimus in hac ſanctâ ſede, aliquot jam annis, multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis pontificibus in alios inferiores prælatos deſcenderit. Omnes nos, id eſt, prælati & eccleſiaſtici, declinavimus, unuſquiſque in vias ſuas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum.* Principes & proce-
Libro 4. res imperij reſpondent, *videri ſibi* (utar verbis Sleidani) *non aliam eſſe commodiorem viam hæc omnia ſanandi, quàm per pium liberumq́; concilium, quod ipſe & Cæſar, præcipui orbis Chriſtiani magiſtratus, facilè poßint in aliquâ Germaniæ civitate cogere, Moguntiæ videlicet, vel Argentorati, vel Meti, vel Coloniæ: fore etiam ex utilitate reipublicæ, ſi primo quoque tempore, & ad ſummum, intra annum ejus fiat initium: ſed hac lege tamen & conditione, ut omnes pariter qui intererunt,*

*cujus-*

*cujuscunque ſint ordinis, datâ fide per jusjurandum promittant, quidquid ad gloriam Dei & ad ſalutarem reipublicæ conſtitutionem pertinere videbitur, ut id abſque diſsimulatione & liberè pronuncient.* Sed Hadrianus poſt paucos menſes obijt. Succeſſor Clemens ſeptimus, cujus paullò antè facta fuit mentio, neceſſitatem habendi concilij, etiamſi ab Imperatore Carolo quincto acriter urgeretur, quamdiu tamen vixit, declinavit. At qui Clementem ſequutus eſt Paulus tertius, quum declinare diutiùs non poſſet, id omni ſtudio egit, ut in Italiâ haberetur. Mantuam primò deſignavit; deinde Vicentiam, urbem ditionis Venetæ: ſed quum neutram alieno arbitrio domini earum temerè permitterent, ad hanc etiam, quamvis adeſſent Pontificij Legati, nemo accederet, res ſucceſſu caruit, Pontifice non admodum refragante. Tandem poſt varias *prorogationes* & *ſuſpenſiones* delectum eſt Tridentum, modicum in confinibus Germaniæ & Italiæ oppidum, capiendæ hominum multitudini haut adeo commodum. Bulla, quâ culpam ſynodi hactenus dilatæ Principi Mantuæ urbem ſuam non niſi ſub certis conditionibus permittenti, Turcarum irruptionibus, & diſſidijs bellisque Caroli Imperatoris & Franciſci regis Galliæ imputat, & concilium ad proximas Kalendas Novembris indicit, data eſt XI Kal. Iunij, anno CIƆ IƆ XLII. Cæterùm Germanis Proteſtantibus, quorum res potiſſimum agebatur, alibi quàm in Germaniâ haberi concilium, quod planè liberum cupiebant eſſe, minimè probabatur: nec ferre poterant Pontificem, à quo fuiſſent ipſi multis præjudicijs, tamquam hæretici, pridem condemnati, & quem plurimorum criminum reum acturi eſſent, præcipuè verò accuſatu-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ri, quòd principatum in univerſam eccleſiam ex jure divino & inſtituto Chriſti, multaque huic hypotheſi annexa, falsò & fraudulenter ſibi arroget, concilium moderari, & in propriâ cauſsâ judicem ſedere. Proteſtabantur itaque ſe tale concilium, à Pontifice indictum & gubernandum, pro libero & legitimo nec agnoſcere, nec umquam agnituros. Certè, ut eventus docuit, nihil in eo proponi potuit, niſi quod proponi vellent Legati, qui nomine Pontificis præſiderent; nihil decidi vel definiri, niſi quod priùs Romæ pontifici probatum. Porrò ne diutiùs, quàm è re eſſet Pontificis, ſynodus coiret, poteſtas facta Legatis eam aliò transferendi, atque adeo abrumpendi. *Quo arcano*, ut notat
Hiſt. lib. 2. Petrus Suavis, *omnem deliberationem Curiæ Romanæ ſtudiis adverſam facile erat interturbare.* *Concedimus vobis*, ait Paulus tertius Bullâ IIX Kal. Mart. anno CIϽ IϽ XLIV datâ, *plenam & liberam poteſtatem & facultatem, quandocumque vobis videbitur, concilium de civitate Tridentinâ ad quamcunque aliam commodiorem & opportuniorem ſeu tutiorem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi & mutandi, ac illud in ipsâ civitate Tridentinâ ſupprimendi & diſſolvendi.* Hinc itaque poſt habitas ſeptem ſeſſiones levi de cauſsâ Bononiam
Ann. 1547. Martio. translatum, & quamdiu vixit Paulus tertius, abruptum fuit. Titulo quidem uſa eſt congregatio illa hujusmodi: *Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata*: addendum fuiſſet, ſi Conſtantienſe & Baſileenſe concilia voluiſſent imitari, *univerſalem eccleſiam*, ſive *eccleſiam catholicam militantem repræſentans*: ſed ne quod concilio tribueretur, Pontifici decedere, atque adeo concilio ipſe ſubjici videretur, omiſſum fuit. Bullæ facultatum Legatis datarum inſer-

tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

tum erat, *de Concilij adſenſu omnia eſſe facienda*: ſed illi *per literas Pontifici ſignificarunt, clauſulam illam in agendo ipſos plus ſatis conſtringere, & minutiſſimum quemque præſulem iis exæquare. — Itaque re rationibusq́; Romæ diligenter conſideratis, atque emendato de Legatorum ſententiâ diplomate abſoluta iis conceſſa poteſtas.* Id autem ſollicitè injunctum, *ne umquam quacumque de cauſſa ad diſputationem de auctoritate Papæ veniatur.* Notavit Petrus Suavis in hiſtoriâ hujus concilij, libro ſecundo: quæ ex ephemeridibus & annotationiuus eorum, qui interfuerant, confecta continet plurima obſervatu digna. Edita primùm fuit Italicè & præfixum nomen *Pietro Soave Polano*; quod eſt per anagrammatiſmum *Paolo Soarpi Veneto*. Sed ad priora redeamus.

CI. Bulla quidem, quo indicitur concilium, data fuit, ut diximus, XI Kal. Iunij, anno CIↃ IↃ XLII. Sed bellum inter Imperatorem & Regem Galliæ, qui quinque locis in Cæſarianas ditiones, Turca quoque in ſubſidium advocato, impetum faciebat, recrudeſcens nova impedimenta objecit. Poſt biennium autem pax denuò apud Crepinium in Sueſſionibus inita: legesque pacis utrique, ut eccleſiæ ad antiquam puritatem & concordiam reducendæ operam impenderent, injunxerunt. Quum itaque fruſtrationes prætextu velari diutiùs non poſſent, concilio Tridenti initium datum eſt anno CIↃ IↃ XLV, primaque ſeſſio celebrata die XIII Decembris, quâ declaratum fuit, *ſacrum Tridentinum & generale concilium incipere & inceptum eſſe.*

Secunda ſeſſio incidit in ſeptimum Ianuarij, anno ſequente. Hortatur & jubet *omnes & ſingulos Chriſti fideles Tridenti congregatos, ut velint ſe à malis & peccatis hactenus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*nus commiſſis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare &c. Epiſcopos verò & quoſcumque alios in ordine ſacerdotali conſtitutos, ut aſſiduè Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes & preces offerre, ſacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die dominico peragere ſatagant: — ut jejunent ſaltem ſingulis ſextis feriis in memoriam paſſionis Domini, & eleemoſynas pauperibus erogent: — ut in epiſcoporum menſis, quum in eo loco ſæpiùs ocioſi ſermones oriri ſoleant, divinarum ſcripturarum lectio admiſceatur.* Hæc & ſimilia *de modo vivendi & alijs in concilio ſervandis* præſcribit ſeſſio ſecunda.

Seſſione tertiâ, quæ quarto Februarij habita, recitatur ſymbolum Nicænum, uti hactenus à Latinis recitari ſolitum.

Seſſio quarta celebrata octavo Aprilis propiùs ad rem accedit. Subjiciam ipſiſſima ſynodi verba: *Synodus perſpiciens veritatem ſalutarem & morum diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla ſequuta, omnes libros tam Veteris quàm Novi teſtamenti, (quum utriuſque unus Deus ſit auctor) nec non Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ catholicâ conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipit ac veneratur. Sacrorum verò librorum*

*rum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*rum indicem huic decreto aſſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiantur. Sunt verò infra ſcripti.* Annectit videlicet catalogum laxiorem, qualem ab Innocentio & Auguſtino & ſynodo Carthaginienſi proponi pridem diximus. Adjicit tamen librum Baruchi, de quo apud illos altum ſilentium. Deinde ſubjicit: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſiâ catholicâ legi conſueverunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & Traditiones prædictas ſciens & prudens contemſerit, anathema ſit.*

CII. Tria hîc definit Tridentina ſynodus. Vnum eſt, *Traditiones non-ſcriptas unà cum libris canonicis pari pietatis affectu & reverentiâ eſſe ſuſcipiendas.* Si Traditiones intelliguntur, quæ vel ad ſaltem neceſſaria dogmata, vel ſacramenta à Chriſto inſtituta, quæ in nullis libris canonicis habeantur, proponant; nego ullas tales eſſe vel inveniri poſſe, quæ videlicet per univerſalem priſcæ eccleſiæ conſenſum, à primis uſque ad ſubſequentia ſecula certis teſtimonijs deducendum, dogmata vel ſacramenta, qualia diximus, proponant. Hujuſmodi enim traditione, ſive conſentientibus ætatum à primâ uſque ad mediam vel infimam teſtimonijs, alia vel dogmata vel ſacramenta non confirmantur, quàm quæ in ipſis Scripturis continentur. Sin intelliguntur ceremoniæ, ritus & inſtituta ad decorum, ordinem & diſciplinam eccleſiaſticam facientia, ultrò concedimus, talia nonnulla extra canonicam ſcripturam per traditionem à



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

majoribus ad nos derivata eſſe; ſed ſine ijs cognitis vel ſervatis ſalutem conſequi neminem poſſe, nullus intelligens affirmaverit. Traditio igitur, quæ vel articulos & ſacramenta religionis noſtræ teſtimonio ſuo confirmat, vel ritus, ordinem & inſtituta priſca eccleſiaſtica ad nos tranſmittit, non rejicitur aut improbatur, ſed illa ſola, quæ iſta duo combinat & conjungit, nempe *neceſſarium eſſe ad ſalutem* & *in canonicis ſcripturis non inveniri*. Hæc autem alibi, ſi opus fuerit, accuratiùs tractanda hîc ſaltem obiter & in tranſcurſu monemus.

CIII. Alterum, quod à Tridentino concilio ſeſſione quartâ definitur, rem noſtram, de quâ hactenus egimus, nempe numerum ſive catalogum librorum canonicorum Veteris teſtamenti, concernit. Enumerarant ante complura ſecula eoſdem (Baruchi tamen libro, ut antè diximus, excepto) quos Tridentini enumerant, Innocentius, Auguſtinus & Patres Carthaginienſes. Quomodo intelligi & exponi debeant, ne ab univerſâ priſcâ tum Veteris tum Novi teſtamenti in oriente & occidente eccleſiâ diſſentire videantur, & pridem & paullò antè verbis eximij viri Alfonſi Toſtati
Num 92. oſtendimus. Poſſet eadem ratione intelligi & exponi decretum Tridentinum, niſi anathemate horreret. *Si quis*, ajunt, *libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in eccleſiâ catholicâ legi conſueverunt, & in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Per quæ verba omnis commodè explicandi & conciliandi ratio, quin & mutua diſſidentium tolerantia perimitur. Quomodo veteres de nonnullis Scripturæ libris, ſalvâ fidei integritate & eccleſiarum concordiâ diverſum ſenſerint, Reſponſi maledicis Moguntinis

oppoſiti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

oppoſiti parte primâ, num. LXXV oſtendimus. Qui verò concilium hoc Tridentinum admittit, ſub pœnâ anathematis & jacturâ æternæ ſalutis apocryphos illos libros Moſi & Prophetis æquare debet. Nec hoc ſolùm. Ei, qui diſcrimen aliquod & imparitatem agnoverit, non poterit dicere; Tolerabimus nos invicem & mutuâ Chriſtianâ caritate proſequemur, etiamſi in conſtituendo canonicorum librorum numero diſſentiamus: ſed neceſſe habet dicere; Si à meâ & concilij ſententiâ diverſus abis, & Tobiæ, Iudithæ, Maccabæorum libros eodem, quo Moſen & Prophetas, pietatis affectu ac reverentiâ non ſuſcipis & veneraris, tamquam anathema te abominor.

CIV. Qui verò ſunt, qui nos jubent horridè adeo ſentire, imò ſentire contra unanimem Eccleſiæ Veteris & Novæ, Orientalis & Occidentalis conſenſum? Si Acta inſpicio, eosque qui ſuffragia tulerunt, numero, invenio præter Legatos Cardinales, alios adhuc duos; Archiepiſcopos novem, inter quos perſonati ſive titulares duo Olaus Magnus & Robertus Vuaucop, Venantius Sleidano, cujus de hiſce duobus ſine diœceſi & cenſu archiepiſcopis verba ex Commentariorum libro XVII ſubjiciam. Quum Sueciæ rex Guſtavus reformationem moliretur, An. 1537. *Johannes Magnus archiepiſcopus Vpſalenſis, qui mutationem illam improbaret, relictâ patriâ, Romam confugit, eoq; venit mediocri cum comitatu. Venetias profectus deinde, factus eſt ejus civitatis patriarchæ vicarius, & ut vulgò dicunt, ſuffraganeus. Eum verò conditionem poſtea pertæſus, Romam reverſit, & in anguſtias redactus, quum divenditis equis familiam ferè totam dimiſiſſet, à Paulo pontifice collocatur in hoſpitali domo, quam vocant Sancti Spiritus, in eaq; tenuis atque pauper vitam finiit.*

*Erat cum eo frater Olaus: huic pontifex archiepiſcopatum illum Gothicum, licet extra commercium eccleſiæ Romanæ poſitum, confert, & concilio intereſſe jubet, & ad victum quotidianum aureos dat menſtruos quindecim. Alter ille, Scotus, quum archi-epiſcopatum Armacanenſem eſſe in Hiberniâ Pontifici demonſtraſſet, titulum ejus fuit ab illo conſequutus. Erat autem cæcus, & tamen non ſolum miſſificabat, verum etiam per celeres equos currebat. Hos ergo duos pontifex in cœtu patrum eſſe voluit, oſtentationis cauſſa tantùm, quaſi duo iſti populi tam longinqui, Gothi & Hiberni, poteſtatem ipſius agnoſcerent, quum illi revera, præter umbram & nudum titulum nihil haberent.* Præter Archiepiſcopos adfuerunt, ſi rectè numero, epiſcopi XLII; inter quos VVigornienſem unum Anglum, ipſum quoque ſine dubio perſonatum reperio, nullum Germanum, unum fortè & alterum Gallum, non multos Hiſpanos, cæteros omnes Italos; de quibus ſi non omnibus, pleriſque tamen accipiendum, quod annotat

Libro 2. Petrus Suavis, *multos inopes Epiſcopos interfuiſſe concilio, ſpe ac pollicitationibus illectos, quibus proſpiciendum fuerit:* monentibus Pontificem Legatis, *totâ viâ errare, qui putent eos ita parcè ac tenuiter Tridenti, atque Romæ ſuſtentari poſſe. Romæ enim quum nullâ auctoritate ſint, vitam humilem & aliis obnoxiam tolerare; in Concilio autem majores ſibi animos ſumere, & creſcente exiſtimatione rem quoque auctiorem exſpectare.* De hujus farinæ epiſcopis Alfonſus à Caſtro de hæreticorum punitione libro tertio, cap. V: *Etſi aliqui ſint Epiſcopi docti, multò tamen plures ſunt adeo indocti, ut vix latinè ſciant loqui, & (quod multò peius eſt) eorum aliqui nec benè latinè legere noverunt. Cujus rei exempla ſunt in illâ præſertim provinciâ, quæ ſe Latinæ eloquutionis parentem gloriatur.* Addo obſervationem Claudij Eſpenſæi Pariſienſis Theologi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ologi è Digreſſione primâ ad primum caput epiſtolæ ad Titum: *Factum eſt poſterioribus ſeculis, ut, quod meritò in concilio Baſilienſi Ludovicus Arelatenſis querebatur, in Conciliis id demùm fiat, & neceſſariò fiat, quod nationi placeat Italicæ, ut quæ ſola Epiſcoporum, qui & ipſi ſoli vocem illic deciſivam habent, numero nationes alias æquet aut ſuperet, ſicut ſcripſit libro primo de geſtis ejus concilij Aeneas Sylvius nondum Pius. Hæc illa eſt Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit.* Nunc ex Petro Suavi, quid Germani de ſeſſionis hujus quartæ decretis judicarint, audiamus. *Nonnullis audax inceptum videbatur, quinque Cardinales & XLIIX epiſcopos* (ſi rectè numerum ineo, ternario auctior eſt) *auctoritatem canonicam libris antea incertis & apocryphis dare, & tranſlationem, quæ à textu originario deflectit, authenticam facere. In his tamen præſulibus non temere reperiri aliquem præcellentis doctrinæ laude inſignem. Leguleios eſſe aliquot, in juris profeſſione doctos, ſed religionis non admodum intelligentes, perpaucos Theologos, eoſque eruditione infra vulgus Theologorum. Pleroſque omnes Nobiles, aut Aulicos. Ex iis qui ſint aliquâ dignitate, aliquos eſſe titulares tantùm: ſed Epiſcopos magnam partem eſſe civitatum adeo minutarum, ut ſi quiſque populum cui præeſt, referat, vix omnes milleſimam orbis Chriſtiani partem repræſentent. Sed è Germaniâ præſertim ne unum quidem adeſſe Epiſcopum, unicùmve Theologum.* Poſt medium.

CV. Dicit quidem Becanus, uti etiam pridem monuimus, laxiorem catalogum Tridentinos accepiſſe *ab Eugenio Papa in concilio Florentino*; (quanto autem dubio tam ſynodus quàm conſtitutio illa Florentina ſit obnoxia, jam antè oſtendimus) *Eugenium* ſaltu per mille propemodum annos facto *accepiſſe eum à Gelaſio Papa; Gelaſium ab Auguſtino; Auguſtinum à Patribus Carthaginienſibus; &* Manualis lib. 1, c. 1, quæſt. 1.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*hos ab Innocentio.* Quomodo intelligi illi debeant, & quomodo intellexerint, ſive ſaltem quo in precio Pontificias iſtas definitiones (ſi tales cenſeri oportere pertenditur) habuerint eximij quique Latinæ Eccleſiæ ultima uſque in tempora doctores, abundè eſt demonſtratum. Vnum ſaltem nunc quæro, num Tridentini vel ab Eugenio vel à Gelaſio aut quocumque priorum acceperint, ut priſco canoni inhærentes & agnoſcentes diſcrimen inter libros eccleſiaſticos & ſtrictè proprieque canonicos, anathemate feriant, id eſt, communione fidelium & regno cœlorum excludant? Minimè gentium. Imò verò diſcrimen non tantùm in orientali, ſed etiam in occidentali eccleſiâ ab optimis quibuſque ſcriptoribus conſtanter ſervatum & agnitum ſemper fuiſſe demonſtravimus. Quum itaque canonem, qualis in priſcâ & priore eccleſiâ obtinuerat, immutarint, imò rejecerint & damnarint, atque adeo eccleſiaſticos libros canonicis pares haberi ſub anathemate definierint, lubet denuò quærere num hac ipsâ in re teſtificationem priſcæ & prioris eccleſiæ ſequuti ſint, an novis revelationibus colluſtrati fuerint? Teſtificatio, cujus tamen ſolius interventu, ſi quid hîc controverſum, decîdi oportet, contraria eſt: revelationes novæ, veritatibus præſertim ab universâ eccleſiâ ſemper agnitis oppoſitæ, nullæ dantur. Novatoribus igitur, ut tum in ipſorum, tum lectoris gratiam in compendium, quæ prolixè antehac tractata ſunt, redigamus, hoc argumentum proponimus.

Quæ ſynodus anathemate damnavit ſententiam totius Eccleſiæ Veteris teſtamenti, item Univerſalis Eccleſiæ Novi teſtamenti primorum quatuor ſe-

or ſeculorum, quin ſimpliciter univerſæ eccleſiæ, quæ tum in Oriente tum in Occidente ultra annos CIϽ IϽ fuit; ea ſynodus reproba eſt, & nullam fidem meretur.

Sed Tridentina ſynodus anathemate damnavit ſententiam totius Eccleſiæ Veteris teſtamenti: ea enim numquam alios in canone libros habuit, quàm Hebraicè ſcriptos, & tribus ordinibus Legis, Prophetarum & Hagiographorum comprehenſos, uti oſtenſum eſt à numero IX uſque ad XXIV: item Vniverſalis eccleſiæ Novi teſtamenti primorum IV ſeculorum: demonſtratum eſt de Græcis Hebræo canoni inhærentibus à num. XXIV uſque ad XXXVII; de Latinis à num. XLIII uſque ad XLIX: quin ſimpliciter univerſæ Eccleſiæ, quæ tum in Oriente tum in Occidente ultra annos CIϽ IϽ fuit: vide numeros inter XXXVI & XLIII intermedios; & deinceps à num. XLIX uſque ad centeſimum.

Ergo Tridentina ſynodus reproba eſt, & nullam fidem meretur.

Major ex ſe nota eſt. Minor dudum demonſtrata. Dicit videlicet ſynodus: *Qui omnes enumeratos libros cum omnibus ſuis partibus, ut in vulgatâ Latinâ editione habentur, pari pietatis affectu ac reverentiâ pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* At Eccleſia Veteris teſtamenti; Eccleſia Novi teſtamenti quatuor primorum ſeculorum tum in oriente tum in occidente; item quæ primitivam utrobique poſterioribus ſeculis excepit, omnes iſtos libros

pari

pari pietatis affectu ac reverentiâ pro ſacris & canonicis non ſuſcepit, uti evidenter patuit. Ergo univerſa ante & poſt natum Chriſtum eccleſia juxta Tridentinos anathema. Si quis autem quærat, quid homines illos moverit, ut tantum ſibi ſumerent, ſeque unanimi veterum majorumque ſuorum conſenſui objicerent? reſpondebimus, nobis de alieni facti rationibus non planè conſtare: ſuſpicari tamen, quòd animadverterint, genuinis & ſinceris dogmatibus ſequiore ævo nupera & nova bene multa acceſſiſſe: voluiſſe itaque principia, è quibus deduci oporteret, quàm fieri poſſet, latiſſimè extendi, ut ſaltem alicunde ſive probatio ſive prætextus aliquis derivaretur. Tale itaque principium advenientes, dum rem aggrediuntur, dederunt, & quum in limine eſſent, à januâ aberrarunt.

CVI. Vlteriùs argumentor. Qui probat & confirmat ſynodum, quæ ſententiam univerſalis ante & poſt natum Chriſtum eccleſiæ anathemati ſubjecit, is etiam ipſe nullam fidem meretur, & auctoritate excidit. At hoc Romani Pontifices noſtrâ & ſuperiore ætate fecerunt & faciunt. Ergo.

CVII. Tertium Tridentinæ quartæ ſeſſionis decretum eſt, ut libri, *prout in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur, pro ſacris & canonicis ſuſcipiantur.* Quod diſertiùs mox explicat hiſce verbis: *Statuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in Eccleſiâ ipſâ probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, aut expoſitionibus pro authenticâ habeatur, & quòd eam nemo reÿcere quovis prætextu*

*textu audeat vel præſumat.* Aliter ſenſit tota antiquitas: quin ipſa rerum indoles non permittit, ut fontibus aut textui originario æquetur aliqua translatio: ut autem præferatur, prorſus eſt abſurdum; niſi fortè oſtendi poſſit, rariſſima fuiſſe vel eſſe primarij textus exempla, nec alia quàm per inſignem librariorum ſive incuriam ſive fraudem corrupta: integrum verò & ſincerum unum fortè incidiſſe in manus egregij fidique interpretis, eoque itidem ſuppreſſo aut amiſſo ſupereſſe ab hoc profectam verſionem. Si detur caſus, quem vix in ullo vel infimæ claſſis auctore datum iri puto, conceſſero verſionem ibi præferendam fonti. De ſacris autem Scripturæ libris ſimile quid affirmari, pugnaverit cum providentiâ divinâ, quæ quemadmodum, ne ad capeſſendam viam ſalutis certi & authentici indices ſive duces deeſſent, hos ipſos humano generi voluit impertire, ita quoque eàdem fini conſervare: pugnaverit cum ſingulari & prope incredibili diligentiâ Iudæorum, quod Vetus teſtamentum attinet, de quâ aliquid dictum num. XVII. Quin ipſe Bellarminus validis quinque argumentis pugnat contra eos, *qui contendunt Iudæos in odium Chriſtianæ fidei ſtudioſè depravaſſe & corrupiſſe multa loca Scripturarum.* Quæ verò ad corruptelas adſtruendas proferuntur, diſſolvit clariſſimus collega D. Hornejus Tractatu de Scripturis, diſputatione VII, quæſtione IV. De libris Novi corruptis, niſi fortè quòd alicubi hallucinatione exſcribentium (quos nemo, ſive fontes ſive verſiones deſcribant, ἀναμαρτήτους conſtituit) peccatum fuit, nulla eſt ſuſpicio vel querela. Teſtatur Hieronymus, *multarum gentium linguis Scripturam antè translatam*, ſive pridem & ante ſuam ætatem. Teſtatur Theodoretus θεο-

Libro 1 de Verbo Dei cap. 2.

Præf in Evang ad Damaſum.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

πευτικῆς libro quincto *Hebraicos libros non modò in Græcum idioma converſos eſſe, ſed in Romanam quoque linguam, Aegyptiam, Perſicam, Indicam, Armenicamq́ & Scythicam, atque adeo Sauromaticam, ſemelq́*, ait, *ut dicam, in linguas omnes, quibus ad hunc diem nationes utuntur.* Quum diverſæ & adeo multiplices eſſent verſiones, quem tamquam originarium & authenticum textum tranſtulerunt aut reſpexerunt interpretes, niſi Hebræum Veteris & Græcum Novi teſtamenti? aut quem alium reſpicere etiam hodie poſſint *gentes, quas per diverſitatem linguarum cunctarum Deus in unitate fidei congregavit?* Conveniunt videlicet & conjunguntur, quod Scripturam omnibus communem attinet, per fontes, tamquam per vinculum ſive per principium itidem omnibus commune, & non per aliquam verſionem. Si ſecus ſe res habeat, inferiore & deteriore loco & conditione fuerit Scriptura θεόπνευστος, quàm mendaciſſimum & nugaciſſimum Alcoranum. Nam accuratâ Muhammedanorum induſtriâ in fonte Arabico id ſartum tectum conſervari nemo dubitat: & ſi Perſa vel Indus vel Tartarus translationem expetat, non aliunde quàm ex Arabico verti velit, nec fidam credet, niſi Arabico textui reſpondeat.

CIIX. Cæterùm poſt Tridentinam ſynodum cœperunt ſcribere Ieſuitæ, quemadmodum ex ijs, quæ adjicimus, lector poterit cognoſcere. Alfonſus Salmeron prolegomeno in Evangelicam hiſtoriam quarto conatur oſtendere, *lectionem Hebræam non eſſe ſine plerisque vitiis*, & proinde præferri oportere verſionem Latinam. Iohannes Pineda præfatione in Iobum, cap. 11: *Nihil ſacræ auctoritatis hactenus eſt, niſi quod in Latino codice vulgato habemus.* Gregorius Valentia tomo III, diſp. I, quæſt. I,

punctο

punćto VII, parag. XLIII: *Græci & Hebraici codices, ſicubi à noſtrâ editione diſsident, per noſtram corrigendi & emendandi ſunt: nam hanc Eccleſia peculiari definitione per omnia probavit, non illos.* Iacobus Gretſerus Defenſionis Bellarmini libro II, cap. XI: *Fontes, tamquam turbidè fluentes, depurgandi & expurgandi ſunt ad Latinam vulgatam editionem.* Martinus Delrio Proloquij in Pharum Sapientiæ cap. III, regulâ III: *Latinam vulgatam nunc ſolam pro authentica habet ex decreto concilij Tridentini Eccleſia catholica.* Et regulâ VII: *In quibus Hebræa conveniunt cum Latinæ vulgatæ dictis, ſunt certæ & infallibilis veritatis; in quibus diſsident, ſunt corrigenda ex Latino, non contra. Idem obtinet in Græco contextu Novi teſtamenti.* Iohannes Euſebius Nieremberger de origine Sacræ Scripturæ libro VI, cap. XXIII: *Latinus textus non eſt corrigendus per Hebraicum, ſed Hebraicus per Latinum.* Secundum hos itaque novatores, Tridentinæ ſynodi adſeclas, Hebræus Veteris & Græcus Novi teſtamenti textus non eſt authenticus, ſed ſolus vulgatus Latinus. Hunc autem authenticum, qualis antea non fuerat, primùm fecit ſanctio Tridentina. Ante eam ſi Hebræus & Græcus authenticus fuit, è gradu, quem ab omni ævo hucuſque tenuerat, à Tridentinis deturbatus eſt, & ex authentico factus non-authenticus; ratione planè contrariâ ei, quâ libros apocryphos in canonicos tranſmutarunt. Sin authenticus non fuit, ante coactam Tridentinam ſynodum per decurſum tot ſeculorum Eccleſia Chriſtiana catholica authentico Scripturæ textu caruit, & abſque illius operâ eſſet, adhuc careret. Vtrumque ex æquo abſurdum.

CIX. Longè aliter priſci Latini Patres, quin etiam recentiorum doctorum, qui proximè concilium ante-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ceſſerunt, præſtantiſſimi. Nunc, quoniam rem plenè & accuratè non tractamus, ſed ſaltem, quia cum ſeſſione quartâ Tridentinâ res nobis eſt, leviter tangimus, adductis paucorum teſtimonijs contenti erimus. Hieronymus ad Lucinium, epiſtolâ XXIIX: *Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita novorum Græci ſermonis normam deſiderat.* Rurſus ad Suniam & Fretelam, epiſtolâ CXXXV: *Sicut in Novo teſtamento, ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo Novum ſcriptum eſt inſtrumentum: ita in Veteri teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinosq́; diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut quidquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.* Auguſtinus de doctrinâ Chriſtianâ libro II, cap. XI: *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebrææ ſcilicet & Græcâ: ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.* Et XV de civitate Dei, cap. XIII: *Quum diverſum aliquid in codicibus invenitur, ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per interpretes facta translatio.* Ad quæ verba Ludovicus Vives: *Hoc ipſum Hieronymus clamat; hoc ipſa docet ratio; & nullus eſt ſaniore judicio qui repugnet: ſed fruſtra conſenſus bonorum ingeniorum hoc cenſet, nam rigidus ſtupor velut moles opponitur.* Duobus antiquis jungamus duos ex infimâ ætate Cardinales, Tridentinam ſynodum proximè antegreſſos, quorum etiam teſtimonijs ſuperiùs uſi fuimus. Cardinalis Ximenius præfatione in Biblia Complutenſia ad Leonem decimum: *Vbicumque Latinorum codicum varietas eſt, aut depravatæ lectionis ſuſpicio (id quod librariorum imperitiâ ſimul & negligentiâ frequentiſſimè accidere videmus) ad primam Scripturæ ori-*

*ræ ori-*

*ræ originem recurrendum eſt, ſicut beatus Hieronymus & Auguſtinus ac cæteri eccleſiaſtici tractatores admonent; ita ut librorum Veteris teſtamenti ſinceritas ex Hebraicâ veritate, Novi autem ex Græcis exemplaribus examinetur.* Cardinalis Cajetanus præfatione in quinque Moſaicos libros: *Intendo juxta Hebraicam veritatem textum exponere, ubi diverſa occurrerit ſententia in vulgatâ editione & in Hebraico textu. Non enim interpretis Græci aut Latini, ſed ipſius tantùm Hebræi textus auctoritas eſt, quam complecti cogimur, & complectimur fideles omnes.* Hæc iſti duo magni nominis Cardinales, quorum ſententiæ præcedentium omnium ſeculorum conſenſui innixæ poſt elapſos paucos annos anathema impegerunt Cardinales & Epiſcopi ſynodi Tridentinæ: ad cujus ſeſſionem quartam hæc quoque in occaſione obiter annotata ſunto: nam ex inſtituto de canone Scripturæ, & Veteris quidem teſtamenti nos hîc agere dudum profeſſi ſumus.

CX. Si quis autem eorum, qui Tridentinam ſynodum amplectuntur, hiſce noſtris ſe velit opponere, reſpiciat ad ſyllogiſmum numero CV propoſitum, & ſi quid in eo vel ejus probatione deſideret, paucis indicet: nam ſi quid uberiore confirmatione indiget, id porrò confirmabitur. Vt uno verbo dicam, *reſpondeat in formâ.* Ita enim ambages declinabuntur, & brevi ſed rectâ & regiâ viâ ad verum à falſo dignoſcendum ibitur. Ad rem nihil faciunt mendacia, convicia, calumniæ, quibus frenos laxant Moguntini: ſine quibus tractari poſſunt quæſtiones controverſæ in qualibet aliâ diſciplinâ; & cur non in Theologicâ? unde vel maximè deberent abeſſe, & veritas abſque detrimento caritatis veſtigari. Propemodum autem apud me Moguntinorum πρετίσματα



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

& λοιδορείαι effecerunt, ut quod de Novo artifice pridem dixi, de ipſis quoque dicerem, nempe *cum eis mihi poſthac nihil negotij fore, etiamſi Acheronta moverint, & ex imo fundo convicia hauſerint, tantamq́ eorum molem, quantam montium gigantes, quum Pelion Oſſæ imponerent, congeſſerint.* Ne tamen veritati deſim, quum jam Reſponſi mei ipſis oppoſiti diſtracta ſint exempla, faciam id recudi, & ubi objiciunt, quod ſententiam meam videri queat impugnare, interſeram & refellam. Ita operæ fieri poterit compendium, & objectionibus, quæ ad rem fecerint diſcuſſis convicia
Matt. XII. v. 34. auctoribus ſuis (ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ) relinqui. Animadverto autem qui ad Rhenum incolunt, calumnijs mihi ſtruendis certare. Num è ſuperiore ripâ ad inferiorem ſecundo fluvio, an adverſo ab inferiore ad ſuperiorem ultro citroque devehantur, in medio relinquo. Videntur, ut dixi, & quantum ab alijs accepi (nam ut ipſe φλυαρείας omnes evolverem à me impetrare nondum potui) conſpirare. Damnant videlicet utriq; ſtudium concordiæ eccleſiaſticæ, & qualemcumque ejus promovendæ conatum. Econtra ſtatuit hæc Iulia, & ego in eâ, non eſſe planè deſerendum aut omittendum: facere inprimis ad Dei gloriam; ad reparandam Eccleſiæ Dei, miſeris modis dilaceratæ, unionem; ad populorum ſalutem tum cœleſtem, tum terrenam: neque enim dum Eccleſia in partes mutuis odijs exaſperatas ſcinditur, tranquilla vel beata poteſt eſſe Reſpublica. Hac fini diſcernenda eſſe neceſſaria à non-neceſſarijs: de neceſſarijs per certas & evidentes probationes, (quoniam in communibus quibuſdam principijs, & quidem præcipuis, convenimus) easque in formâ, ut loquimur, inſtitutas, quas non poſſit non capere, niſi qui

men-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

mentem ejurarit, tranſigendum eſſe. Poſtulavimus itaq; paullò antè, ut qui noſtris ſe velit objicere, ad principalem, quem propoſuimus, ſyllogiſmum reſpiciat. Si reſponſio non exorbitabit aut extra oleas vagabitur, brevi videbitur quò rem evadere oporteat.

CXI. Præterea viget & inculcatur in academiâ Iuliâ ſtudium antiquæ & Ariſtotelicæ philoſophiæ, exploſis novis & nuperis diſciplinarum ſolidæq; eruditionis corruptelis; commendatur etiam proximo poſt Scripturam loco ſtudium eccleſiaſticæ antiquitatis, utpote ad hodiernas controverſias ſive minuendas ſive decidendas magnopere neceſſarium. Hinc, qui ad Rhenum ſunt, dirum carmen occentant, nempe *plurimum de atheiſmo ſub ſpecie eruditionis priſcæ inſtillari incautioribus.* Exiſtimo tamen inferiores accolas hic non concinere, & paullò mitiores eſſe, quàm ut ſtudia ſive priſcæ philoſophiæ ſive antiquarum Eccleſiæ rerum atheiſmi accuſent. Multò autem minùs atheiſmo affinem pronunciabunt doctrinam, quæ inculcat, renatis & fidelibus, ut in ſtatu gratiæ maneant, & fine fidei ſuæ, qui eſt ſalus animarum, tandem potiantur, incumbere neceſſitatem abſtinendi ab operibus carnis, & ſanctimoniæ, ſine quâ nemo Dominum videbit, ſectando. Neque dicent *prævaricationem* eſſe, ſi juvenes ſeriò moneantur, ut exemplum Ioſephi imitentur, & continentiæ operentur, *ne libidines non modò proſperitatem, quam in hiſce terris ſperare poterant, ſed omnem propitij numinis favorem & ipſam æternam ſalutem ijs eripiant.* Qui diis gentium Libero & Veneri ſacramentum dixerunt, prævaricabuntur equidem, ſi ad iſtum modum docuerint: nos verò minimè, qui diabolo & ejus operibus dudum renunciavimus. Nolimus igitur enaſci portenta opinionum, & doceri Chriſtianos, ſive diſertè ſive ambi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

guè, non eſſe eis ad ſalutem neceſſarium ſervandis divinis præceptis operam, quantam per Sancti ſpiritus gratiam poſſint, dare; aut juxta horum præſcriptum boni aliquid vel cogitare, vel dicere, vel facere; Deum diligere, timere & colere; abſtinere ab idololatriâ & Dei nomine ſive incantationibus ſive perjurijs profanando; ab homicidijs, veneficijs, ſcortationibus, adulterijs, rapinis & ſimilibus flagitijs: de quibus videlicet Apoſtolus, *Prædico vobis, prout etiam prædixi, eos qui talia agunt, regni Dei non fore heredes.* Nolimus hæc & paria Sancti ſpiritus effata enervari & corrumpi, atque adeo *ſceleratis & ſubjeci neſciis, impiis & peccatoribus, nefariis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis, ſcortatoribus, cinædis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, convitiatoribus*, metum amittendæ æternæ ſalutis & certo certiùs ſubeundæ damnationis, quo ſolo per Evangelij quidem miniſterium frenari & coërceri poterunt, eximi. Nolimus ſubſtitui peregrinam & fanaticam doctrinam *de ſubſtantiâ hominis fidelis unitâ cum ſubſtantiâ totius ſanctiſſimæ Trinitatis*, deq; *termino hujus unionis non ſolâ divinâ, ſed humanâ quoq; Chriſti naturâ; cui etiam fide extra ſacramentum jungamur quoad ſubſtantiæ noſtræ peculiarem quamdam approximationem*: cujus *unionis duratio & continuitas appelletur Perſeverantia in fide & bonis operibus.* Nolimus hujuſmodi commentorum τέρατα ſpargi, ſed magis medio Rheno, vel Albi, vel ſi quis alius ad ſeptentrionem magnus & profundus fluvius, ne umquam caput efferant, ſubmergi. Qui ſanè, quanti quanti ſunt, reſtinguere tamen non poterunt *ignem æternum, qui paratus eſt diabolo*, calumniarum parenti & flagitiorum auctori, *& angelis* aſſeclisq; *ejus*. Deus, cujus *regnum eſt iuſtitia & pax & gaudium per Spiritum ſanctum*, diſciſſæ Eccleſiæ concordiam & afflictæ reip. tranquillitatem clementer indulgeat, Satanamque conterat ſub pedibus noſtris.

Gal. v, 21. 1 Cor. vi, 9. 1 Tim. i, 9.

APPEN-

# APPENDIX NOVITATI, QVA CHRISTIANVS POPVLVS LECTIONE BIBLIORVM PROHIBETVR, OPPOSITA.

LVbet, priusquam hinc diſcedamus, adhuc unum, quod ſub manu naſcitur, adijcere. Dicit Servator Iudæis, *Scrutamini Scripturas*, Ioh. v, 39. Et laudantur Iudæi, qui erant in Berœâ Macedoniæ, quòd *quotidie ſcrutati fuerint Scripturas, num hæc*, quæ Paulus docebat, *ita ſe haberent*, Act. xvii, 11. Dubium itaque non eſt, quòd Scripturas legere, evolvere, ſcrutari faciat ad fidem tum conſequendam, tum confirmandam: & ut id fiat, propterea Scripturas à Deo eſſe promulgatas. Fecit itaque ſub Veteri teſtamento promulgari linguâ toti populo notâ & uſitatâ, ut à quolibet poſſet intelligi & legi. Sub Novo autem diffundenda erat eccleſia per omnes gentes. Novi itaque libros ſcribi voluit linguâ omnium communiſſimâ, qualis iſto tempore erat Græca. Vnde Tullius pro Archiâ: *Græca leguntur in omnibus fere gentibus; Latina ſuis finibus, exiguis ſanè, continentur.* Non erat igitur ulla lingua magis idonea ad evangelium per omnes gentes propagandum, quàm Græca. Hinc Auguſtinus II de doctrinâ Chriſtianâ, cap. v: *Scriptura divina, ab unâ linguâ profecta, quâ opportunè potuit per orbem terrarum diſſeminari, per varias in-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*terpretum linguas longè lateq; diffuſa innotuit gentibus ad ſalutem.* Ex originario itaque textu factis translationibus prodierunt verſiones in varias paſſimque uſitatas linguas,
Num.107. ſicut ex Hieronymo & Theodoreto ſuprà audivimus. Quas nemo, qui poſſet, umquam prohibitus fuit legere.

II. Quin priſci epiſcopi & doctores ad legendum auditores ſuos ſedulò & ſeriò cohortati ſunt. Chryſoſtomus homiliâ tertiâ de Lazaro, interprete Eraſmo: *Semper hortor, & hortari non deſinam, ut non hîc tantùm,* in publico videlicet cœtu, *attendatis iis quæ dicuntur, verùm etiam quum domi fueritis, adſiduè divinarum Scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis, qui privatim mecum congreſſi ſunt, non deſtiti inculcare.* Nempe patres debent *educare filios ſuos in diſciplinâ & monitis Domini*, Eph. VI, 4. Vnde verò diſciplina vel doctrina vel monita Domini rectiùs accerſantur, quàm ex Scripturâ? Timotheus à puero noverat ſacras literas, II Tim. III, 15; magiſtris ſine dubio *aviâ Loide & matre Eunicâ*, quarum fides laudatur II Tim. I, 5. Anus jubentur eſſe *honeſtatis magiſtræ, ut ſapere doceant adoleſcentulas*, Tit. II, 4. Hinc Claudius Eſpenſæus ad hunc locum & Digreſſione quintâ in epiſtolam ad Titum, *Eâdem*, inquit, *conſequentia tum orthodoxi alii, tum ſuperiores epiſcopi*, Auguſtinus videlicet, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, quorum verbis utitur, *auditores palàm hortabantur ad domeſticam ſacrorum Bibliorum lectionem.*

III. Exſtiterunt olim & ſuperſunt etiam hodie verſiones Bibliorum antiquæ Germanicæ dialecto tum Alemannicâ tum Saxonicâ, omnibus qui legere cuperent aut poſſent expoſitæ, nullique umquam ullâ lege vel ſanctione interdictæ. Quod autem ab initio Eccleſiæ ad

hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

hæc uſque tempora obtinuerat, Romanus pontifex, poſtquam pro ſuo libitu Tridenti concilium habuit, mutare conatus eſt. Nempe Pius quartus proponi fecit *Indicem ſive catalogum librorum, qui*, ut ipſe loquitur, *vel hæretici ſint, vel de hæreticâ pravitate ſuſpecti, vel certè moribus & pietati noceant, — unà cum Regulis ei præpoſitis, quas ubique ſuſcipi & obſervari mandat.* Sed hæc fortè dicent ad Scripturas non eſſe referenda. Sed ſi non hæc, certè iſta ad eas pertinebunt: *Qui libros aliâ de cauſsâ prohibitos legerit habueritue, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſeverè ſe noverit puniendum.* Iam verò Regula quarta ita habet: *Quum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari linguâ paſsim ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quàm utilitatis oriri; hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi vel Confeſſarij, Bibliorum à catholicis auctoribus verſorum lectionem in vulgari linguâ eis concedere poſſint, quos intellexerunt ex hujusmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe; quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate ea legere, ſeu habere, præſumſerit, niſi priùs Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.* Hac quidem regulâ permittitur, ut ab Epiſcopis & Inquiſitoribus impetretur venia legendi Scripturas converſas. Anno 1564

IV. Sed ſequitur ad eam regulam Obſervatio, quæ quod permitti videtur, prorſus abolet. Tota jam recitabitur. *Animadvertendum eſt circa ſupraſcriptam quartam regulam Indicis fel. rec. Pij Papæ IIII nullam per hanc impreſsionem & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis, Inquiſitoribus, aut Regularium ſuperioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita; quum hactenus mandato & uſu Sanctæ Romanæ & univerſalis*

 *Inqui-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*Inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas. concedendi hujuſmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ ſcripturæ tam novi quàm veteris teſtamenti partes, quavis vulgari linguâ editas; ac inſuper ſummaria & compendia etiam hiſtorica eorumdem Bibliorum, ſeu librorum Sacræ ſcripturæ, quocumque vulgari idiomate conſcripta. Quod quidem inviolatè ſervandum eſt.* Hiſce verbis ſi inhæretur, non tantùm Epiſcopis, Inquiſitoribus & Regularium ſuperioribus facultas concedendi, ut legantur Biblia in vulgares linguas converſa, adimitur, ſed etiam compendia hiſtoricorum Scripturæ librorum hominibus Latinæ linguæ imperitis eripiuntur. Ita ſanè, quantum fieri poteſt, cavetur, ne illis Sacra ſcriptura innoteſcat.

V. Quæ verò novi hujus & priorum omnium æſtatum ſententiæ praxique oppoſiti interdicti ratio? Conſtat, ajunt, ſi Biblia in vulgares linguas converſa paſſim permittantur, *plus inde detrimenti quàm utilitatis oriri.* Vnde verò conſtat, inde plus detrimenti quàm utilitatis oriri, niſi detrimentum habeatur, quòd animis deteritur perſuaſio fortè impreſſa de immensâ Romani Pontificis potentiâ, & fides adimitur varijs corruptelis & pecuniæ aucupijs? Quod non eſt detrimentum, ſed utilitas. Si aliquod inde oritur verum detrimentum, id non oritur vitio Scripturæ quamvis in vulgares linguas converſæ, ſed, ut ipſi loquuntur, *ob hominum temeritatem*, id eſt, non per ſe ſed per accidens. Vtilitas inde oritur per ſe. Quod autem utile eſt per ſe, id non debet prohiberi propter aliquod vitium inde ortum per accidens. Alioquin prohiberi poſſet notitia Dei & nominis divini, quum per hominum temeritatem ſæpe profanentur. Mirum autem eſt Pontificem magis ſibi metuere à temeritate hominum latinè imperito-

rito-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ritorum, quàm eorum qui hactenus periti ſunt, ut latina Biblia legere & intelligere poſſint. Neque enim inter illos deſunt qui ingenio & judicio polleant, nec inter hos qui deſtituantur. Et conſtat ex hiſtoriâ & experientiâ, plures hæreſes & errores invectos eſſe ab ijs, qui Biblia græcè vel latinè legerent, quàm invecti ſint ab alijs, qui ita legere non poſſent, & vernaculis translationibus uſi ſunt. At *ipſis ſanctis divinorum librorum auctoritatibus nullo modo quisquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum, quum omnes ex eisdem Scripturis falſas atque fallaces ſuas opiniones conentur defendere*, quemadmodum ſcribit Auguſtinus primo de Trinitate, cap. III.

VI. Verum quidem eſt, ſalutis compotes eſſe, quotquot doctrinam de Chriſto & æternâ ſalute per vivam in ipſum fidem obtinendâ, quem finem ubique reſpicit Scriptura, perceperint & amplexi fuerint, etiamſi libros ejus enumerare aut evolvere ſinguli nequeant: eos tamen, qui hic aliquid præſtare poſſent, ne ſegnes eſſent, commonitos & incitatos ſemper fuiſſe certum eſt, ne quidem difficultatibus, quæ frequentes occurrunt, deterrentibus. Nam *magnificè & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur*; ſicut ſcribit Auguſtinus libro II de doctrinâ Chriſtianâ, cap. VI. *Sume librum in manus*, ait Chryſoſtomus homiliâ tertiâ de Lazaro, *lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt memoria tenens, ea quæ obſcura ſunt parumq́ manifeſta, frequenter percurre. Quòd ſi non poteris adſiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad doctorem.* Et ſanè rectè fecerint Eccle-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

ſiaſtæ, qui populum ad legendas Scripturas incitant, ſi ſeſe ad explicanda, in quibus hæretur, duces & adjutores offerant.

VII. Præclarè Auguſtinus primo de Trinitate, cap. III: *Non pigebit me, ſicubi hæſito, quærere, nec pudebit, ſicubi erro, diſcere. Proinde, quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur ſimul caritatis viam, tendentes ad eum,*
Pſ. 105, 4. *de quo dictum eſt, Quærite faciem ejus ſemper. Et hoc placitum, pium atque tutum coram Domino Deo noſtro.* Quum circa articulos fidei multa poſſint moveri & quæri, in talibus diſquirendis, modò ſalva ſint fundamenta ſine quibus ætena ſalus ſubſiſtere nequit, eo modo animatum eſſe, pietati & modeſtiæ congruum fuerit, & ad caritatem & concordiam ſervandam unicè fecerit. Sic etiam ubi agitur de expoſitione locorum Scripturæ obſcurorum vel dubiorum, & diverſos ſenſus admittentium. Si nullus profertur, qui ſit manifeſtò falſus vel hæreticus, non eſt quare qui interpretando non conſentiunt, indignentur, & in caritatem peccent vel concordiam violent.

IIX. Paulò antè produximus locum ex Chryſoſtomo; ſubijcemus adhuc alium ex homiliâ nonâ in e-
Col. 3, 16. piſtolam ad Coloſſenſes, & verba; Sermo ſive doctrina Chriſti habitet in vobis copioſè. *Audite*, inquit, *quicumque eſtis mundani, & præeſtis uxori & liberis, quomodo vobis quoque maximè mandet* Apoſtolus *legere Scripturas, & non leviter nec temerè, ſed magno ſtudio & diligentiâ.* Rurſus: *Audite quæſo vos omnes, quibus curæ ſunt quæ ad hanc vitam pertinent,* πάντες οἱ βιωτικοὶ, *& parate vobis libros, medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, Novum quidem cer-*

tè te-

*re teſtamentum vobis parate, Apoſtolorum actus, Evangelia, magiſtros perpetuos.* Cæſarius Arelatenſis homiliâ xx: *Vos fratres rogo & admoneo, ut quicumque literas ſcitis, Scripturam divinam frequenter relegatis; qui verò non ſcitis, quando alij legunt, intentis auribus audiatis. — Quomodo negociatores, qui non noverunt literas, conducunt ſibi mercenarios literatos, ut acquirant pecuniam, ſic Chriſtiani debent ſibi requirere & rogare, & ſi neceſſe eſt, etiam mercedem dare, ut illis debeat aliquis Scripturam divinam relegere.* Cum hac veteris Eccleſiæ ſententiâ conferantur quæ ſcribit Baronius in anno ıↄ cccx, num. vii: nempe *quòd monſtra pariat, credere quibuſcumque abſque delectu perſonis etiam laicis divinam ſcripturam; & quòd procul abſit à catholicæ eccleſiæ moribus, ut alijs quàm ſacris Theologis divina ſcriptura committatur legenda.* Nonne qui talia audent enunciare, Novatores tam meritò audiunt, quàm immeritò alterius ſententiæ tenacibus id opprobrij impingunt?

IX. Ex quo ſynodus Tridentina vulgatum Latinum textum primævis fontibus prætulit, ex eo etiam plures novitates invaluerunt, verſiones vetitæ confici, & populus lectione Bibliorum prohibitus ad eum modum, quem nos docere Indicem librorum prohibitorum Romanum, eique præfixas Regulas pridem oſtendimus. Num. 3. & 4 Cœperunt edi ſcripta, quæ hujuſmodi novitates defenderent, & damnari ac interdici quæ reprehenderent. *Petrus Licetius Arvernus in ſupremo Galliæ ſenatu Regius advocatus, deinceps & Præſes primus, nec non denique Abbas S. Victoris ſcripſit dialogum de ſacris utriusque teſtamenti libris in vulgare idioma ſive, ut ille vocat, eloquium minimè vertendis, rudiq; plebi haudquaquam invulgandis.* Ita Poſſevinus Apparatu. Iacobus Ledeſma Hiſpanus Ieſuita, cui alicubi Chriſtum Dominum apparuiſſe & ad capeſſen-

capeſſendam Societatem animum addidiſſe, nec non alibi Beatiſſimam matrem virginem, comitibus Mariâ Magdalenâ, Catharinâ martyre & Catharinâ Senenſi commemorat Philippus Alegambe, qui Bibliothecam Societatis congeſſit: talibus enim, quorum tamen non meminit in Catalogo ſuo Petrus Ribadenaira, rem incruſtari & fucari oportet: hic, inquam, Hiſpanus Ledeſma ſcripſit librũ *de divinis Scripturis quavis paſſim linguâ non legendis*. Non defuit tamen inter ipſos Pontificijs addictos Hiſpanos, qui contrarium publico ſcripto adſereret. *Fredericus Furius* (utor verbis Auberti Miræi ex parte alterâ Bibliothecæ eccleſiaſticæ) *Ceriolanus apud Valentinos, non minùs ingenio quàm genere clarus exſtitit. Litteris primùm in patriâ, pòſt Lutetiæ imbutus, eloquentiam cum Philoſophiâ conjunxit, & Rhetoricorum libros tres, itemq́ De Conſilijs ac Conſiliarij officio Commentarium Lovanij evulgavit. A Philippo II Hiſp. Rege in aulam, Hiſtorici titulo, accitus, eumdem ad Arragonenſium comitia comitatus, demum Valliſoleti cælebs obijt, anno* cIↄ DXCII. Hiſpanus hic edidit *BONONIAM, ſive de libris ſacris in vernaculam linguam convertendis libros duos ad Franciſcum Bovadillium Mendozium, Cardinalem Burgenſem*, ut habet inſcriptio. Priore libro defendit Bononia (quem puto fuiſſe Iohannem Bononiam, Profeſſorem Lovani-
An. 1554. enſem, qui edidit ſcriptum *De æternâ Dei Prædeſtinatione & Reprobatione*) Pontificiam novitatem; poſteriore reſpondet Furius & refellit. Sed in Indice Romano Furij Bononia bis ſimpliciter prohibetur: prohibentur Claudij Eſpencæi commentaria (de quibus paullò antè) in epiſtolam ad Titum, *niſi corrigantur*.

X. Eſt autem prohibitio librorum & inventum Indicum expurgatoriorum inſigne adminiculum faciens ad novitates & abſurdirates Romanas occultandas & no-

titia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

titiæ hominum ſubtrahendas. A quo enim non legitur Scriptura, ab eo animadverti non poteſt, nullum eſſe in Scripturis vel dictum vel teſtimonium, quo demonſtrari & evinci queat univerſalis loco & vice Chriſti in omnem, quàm latè ſe diffundit, eccleſiam Pontificius principatus, vel ab eodem Chriſto collata infallibilitas, vel donatum dominium orbis terrarum, ut poſſit partes ejus, quibus velit & videatur, adſignare, regna & imperia uni adimere & alteri conferre: ut nunc taceam poteſtatem convertendi ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Domini, ſive conficiendi, ut loquuntur, corpus Dominicum, & id Deo Patri in ſacrificium offerendi actione, quæ ſit eadem ſpecie cum oblatione, quam in cruce peregit Servator; taceam poteſtatem denegandi non-ſacrificantibus calicem; eximendi animas è purgatorio & in hunc finem conferendi indulgentias, id eſt, applicandi fidelibus pœnæ obnoxijs partem, quantam libuerit, meritorum Chriſti ac operum, quæ alij fideles præſtiterunt: & quæ ſunt alia multa horum ſimilia, eò omnia ſpectantia, ut Pontifex in terris Deus habeatur, & clericorum ejus, quibuscumque tandem dotibus vel inſtructi vel deſtituti ſint, lucrum & exiſtimatio in immenſum augeatur. Quod ex Sacrâ Scripturâ confirmatur, ei Deus, utpote verbo à ſe dicto, fidem in hominum animis, gratiâ ſuâ eorum corda adaperiens, addit. Quod animadvertitur confirmari non poſſe, ex animis eorum qui idipſum animadvertunt, utpote fide indignum, effluit. Qui verò credunt, & nullo divino verbo vel teſtimonio nituntur, aut ſuperſtitione dementantur, aut ſimulant ſe credere, id eſt, nihil credunt, & pietatem ac religionem ſuſque deque habent; quod puto in Italiâ haut-infrequens eſſe.

XI. Quidquid eorum, quæ diximus, & ſimilium ſive portentorum ſive novitatum ab aliquo ſcriptore reprehenditur, caſtigatur vel obſervatur, idipſum reprehendi, caſtigari vel obſervari ne quiſquam partibus illis junctus, quem noviſſe nolunt, reſciſcat, per Indices expurgatorios accuratè, quantum humanitus fieri poteſt, cavent. Neque tantùm eorum, qui aliquam reformationem amplexi ſunt, ſcripta & monita ſimpliciter eliminant, ſed quæcumque antiquitus conſignata injurias Imperatoribus per Pontifices indignè illatas, detegunt, aut alia, è quibus hos judicari & coërceri potuiſſe conſtet, pandunt. Prohibentur itaque Gulielmi Occami ſcripta omnia pro Ludovico Bavaro Imperatore contra Iohannem XXII: Petri de Vineis pro Friderico ſecundo: item hiſtoria Theodorici à Niem: Auguſtinus de Româ, Nicolaus Clemanges & alij. Imò ſi quis, quamvis totus Pontificius & à Proteſtantibus alienus, videat vel moneat, quod hodiernam doctrinam praxinve Pontificiam aliquo modo tangat aut ſollicitat, illico inter Expurgatos ejus nomen comparet. Hinc inter eos hodie viſuntur Ambroſius Catharinus, Andreas Maſius, Bartholomæus Carranza propter ſuum Catechiſmum, Chriſtophorus à capite fontium Minorita, Didacus Stella, Iohannes Baptiſta Folengius, Iohannes Ferus, Iohannes de Roa, Michaël Medina, Papyrius Maſſonus, plures. Adeſt quoque Enchiridion doctrinæ Chriſtianæ Concilij Colonienſis.

XII. Martinus Eiſengrenius conatus eſt canonem XIII ſextæ ſeſſionis Tridentinæ excuſare, ſive in meliorem & tolerabiliorem ſenſum traducere, in Proteſtantes acerbè invectus. Liber à Tilemanno Bredenbachio la-
1569. in 8. tinè verſus eſt, & Coloniæ excuſus. Cæterùm Indice
expur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

expurgatur *Martini Eiſengrenij Tractatus apologeticus de certitudine gratiæ pro canone XIII ſextæ ſeßionis Concilij Tridentini.* Adducit ille capite ejus Tractatus octavo ex varijs auctoribus, Agendis & Formulis tractandi moribundos, quæ ſub Papatu in uſu fuerunt; adducit, inquam, doctrinam & rationem confirmandi & conſolandi Anſelmicæ conformem, qualem nos alibi produximus. Exempli gratiâ hæc verba Iohannis Tauleri: *Morti jam vicinus prorſus nihil ſuis bonis operibus confidere debet, firmâ fiduciâ in meritum Chriſti ſalvatoris & in abyſſum maris ejus miſericordiæ, in cruenta vulnera ejus, cum omnibus ſuis peccatis, ſe totum immergat. Minutiſſima Chriſti vulnera omne peccatum mortalium obnubilare ac tegere poſſunt. Itaque hæc enormibus ſuis peccatis & Dei judicio opponet, ne in profundam diffidentiæ voraginem immergatur. Hæc eſt Catholica & Chriſtiana fides, quæ neminem fallere poteſt.* Lubet adijcere verba Bernhardi, producta ex cap. XII libri primi vitæ ejus ſcriptæ à Guilielmo abbate: *Fateor non ſum dignus ego; nec propriis poſſum meritis obtinere regnum cælorum. Cæterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate ſcilicet Patris & merito paßionis; altero ipſe contentus alterum mihi donat. Ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor.* Subjungit Eiſengrenius: *Sic S. Bernhardus non permiſit ſe peccatorum improperio per diabolum terreri, ſed conceptâ de exuberantiſſimo Chriſti Domini merito firmâ immobiliq; fiduciâ malignum calumniatorem repulit ac pudefecit. — Eandem fiduciam in extremis habere docti ſunt in Papatu omnes felicis memoriæ majores noſtri.*

XIII. Interim certum eſt non ſaltem totum hunc Eiſengrenij tractatum proſcriptum eſſe, & hodiernam Romanam curiam officiumque Inquiſitionis ægerrimè ferre, & quantum in ſe fuerit, abolitam cupere doctri-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

nam de fiduciâ obtinendi remiſſionem peccatorum & æternam ſalutem non proprijs meritis, ſed virtute & merito paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Index librorum prohibitorum Romanus proſcribit librum, cui titulus, *Ordo baptizandi juxta ritum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Venetijs apud Iohannem Guariſcum & ſocios, anno* CIↃ IↃ LXXV; *niſi corrigatur.* Quæ autem corrigi debeant, diſcere poſſumus ex Indice Hiſpanico. Pius quidem quartus ſuum unà cum Regulis ei præpoſitis evulgari fecit anno CIↃ IↃ LXIV. Sed inviſa illa & corrigi juſſa utroque antiquiora. Hiſpanicus igitur expungi jubet quæ ſequuntur. *Credis non propriis meritis, ſed paßionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute & merito ad gloriam pervenire? Credis quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro noſtrâ ſalute mortuus ſit; & quòd ex proprijs meritis vel alio modo nullus poßit ſalvari, niſi merito paßionis ipſius?* Idem Index Hiſpanicus ex Indice Bibliorum deleri mandat has propoſitiones: *Credens Chriſto non morietur in æternum. Iuſtificamur fide in Chriſtum. Iuſtitia noſtra Chriſtus.* Hanc Scripturæ doctrinam, imò præcipuam doctrinam eſſe, quò cætera cuncta referantur, non poterunt negare, niſi quos cauſſæ, quas ipſi noverint (noverunt fortè etiam alij) conſtringunt, & mentem excuſſâ abſentium conſideratione præſentibus affigunt. Manifeſtum autem eſt hos animadvertere, quòd è re ſuâ ſit, & ad conſervandam auctoritatem & poteſtatem ſuam faciat, ſi lectione Scripturarum, quicumque ullo prætextu poſſunt, arceantur. Imò arcent hac cognitione, & ne innoteſcat, quòd hodierna Pontificia fides nova ſit, remotis per ſuos Indices quibuſcumq; ſcriptis & indicijs, unde innoteſcere poſſet, prohibent.

XIV. Vaferrimum hoc eſt ſtratagema, quo quum aliud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

aliud fere nullum rebus ſuis magis conducere opinen-
tur, ideo cœperunt Pontifices inſtituere *Sacram congre-
gationem* (titulum, quem indunt, adſcribam) *ſanctæ Rom.
eccleſiæ Cardinalium à ſanctiſſimo domino noſtro N. N.* (Ponti-
ficis, qui pro tempore regnat, nomen exprimitur) *ſan-
ctaq́ Sede Apoſtolicâ ad Indicem librorum, eorumdemq́ permiſ-
ſionem, prohibitionem, expurgationem & impreſſionem in uni-
versâ repub. Chriſtianâ ſpecialiter deputatorum.* Hi nemini
parcunt, nec Medicis, nec Iuriſconſultis, nec Politicis,
nec Hiſtoricis, nec Philoſophis, nec Grammaticis, nec
Poëtis. Quicumque aliquid proferunt, quod videri
poſſit omnipotentiæ Pontificiæ derogare, & contra im-
pias & iniquas uſurpationes auctoritatem & jura Impe-
ratorum, Regum, Principum tueri, ilico notantur atro
carbone. Accuſantur proferre *pernicioſas & execrandas
hæreſes, contra veritatem & puritatem ſanctæ Fidei catholicæ*:
& propterea libros, *ne Chriſti fideles ex illorum lectione er-
roribus & hæreſibus inficiantur & depraventur, à Sacrâ Congre-
gatione ſanctæ Inquiſitionis prohiberi.* In exemplum adij-
ciemus, quomodo Magiſter ſacri, quod vocant, Palatij
Apoſtolici, poſtquam Seren^mi Britaniæ Regis Iacobi A-
pologiam pro juramento fidelitatis proſcripſit, loqua-
tur. *De mandato*, inquit, *S. D.N. Pauli, divinâ providentiâ
Papæ quinti oretenus* (vivæ vocis oraculum aliàs dici ſolet)
*nobis facto, ac etiam noſtri auctoritate Officij, omnibus & ſingu-
lis perſonis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, cujusvis ſtatus,
conditionis, & præeminentiæ exiſtant, præcipimus, & manda-
mus, ne prædictos libros, aut eorum aliquem tenere, ſeu legere
quovis modo audeant, vel præſumant, ſub pœnâ excommunica-
tionis majoris latæ ſententiæ ipſo facto incurrendâ, à quâ non
niſi à S. D. N. abſolvi poſſint, ac mulctâ ducatorum mille auri
de Camerâ, locis pijs applicandâ, aliisque gravioribus pœnis in*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*Sacris Conſtitutionibus Apoſtolicis, & in Indice librorum prohibitorum contra tenentes ac legentes libros prohibitos, contentis. Ordinantes omnibus, & ſingulis perſonis, ut eorumdem librorum exemplaria, ſanctæ Inquiſitionis Officio, ſeu Nobis quamprimum conſignent. Bibliopolis verò ſub eisdem pœnis jubemusn,e prædictorum librorum exemplaria recipere, tenere, ſeu venalia proponere quovis modo præſumant.* Venerunt in manus meas *Librorum poſt Indicem Clementis octavi prohibitorum Decreta omnia hactenus edita.* Codex iſtâ inſcriptione editus eſt Romæ circa annum, ut videtur, cIↄ Iↄ c xl. Leguntur autem in eo Decreta ſub Clemente iix, Paulo v, Gregorio xv & Vrbano iix promulgata. Num hiſce ex eo tempore nova acceſſerint, ut quidem veroſimile eſt, certò ſcire nequeo. Id autem certum eſt, inter quos hujusmodi Decreta valent & obtinent, ijs adimi cognitionem ad repellendas injuſtas uſurpationes, quibus Eccleſiaſtici populum Chriſtianum, Romani pontifices Epiſcopos & Concilia, quin Reges & Imperatores opprimunt, neceſſariam. Qui ingenio valent ad arcana penetranda idonei, facilè animadvertunt quò iſta tendant, & quòd à Deo profecta non ſint. Quum autem ſinceriora & veriora diſcere omnibus modis prohibeantur, multi eò adiguntur, ut tantùm dicis ergo ſacra frequentent, & reapſe ac ex animi ſententiâ nullam religionem æſtiment.

XV. Id etiam per Indices illos ſuos agit Inquiſitio, ut adverſarijs ſuis omnem probitatis & eruditionis exiſtimationem adimat, atque adeo credantur eſſe homines indocti, fungi, bardi & blenni. Hinc Index Romanus: *Epitheta honorifica & omnia in laudem hæreticorum* (quoſcumque ſcilicet Curia hæreticos pronunciat) *deleantur.* Sic Index Hiſpanicus prohibet Martinum Bu-

cerum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

cerum & Huldericum Zuinglium appellari *Theologos*; nec patitur Huldericum Zaſium dici *clariſſimum*; nec Chriſtophorum Ducem VVirtembergicum *præclarum*; nec Eduardum VI Angliæ Regem *admirandæ indolis adoleſcentem*. Vbi de hæreticis, quos eo ſcommate ipſis lubet afficere, honorificum aliquid occurrit, expungi jubetur. Interim in Gloſſis ad Extravangantem *Cùm inter*, Romanus pontifex nuncà pluribus quàm centum annis audit *Dominus Deus noſter Papa*. Verum quidem eſt, initio ſcriptum fuiſſe *Dominum noſtrum Papam*. Vidi enim ipſe editionem Pariſijs per Tilemannum Kerver librarium juratum anno ſuperioris ſeculi ſeptimo curatam, quæ haberet *Dominum noſtrum Papam*. Sed, ut dixi, à longè pluribus, quàm centum annis verſantur in omnium manibus exempla, quæ exprimant *Dominum Deum noſtrum Papam*. Quam vim habeant hæc verba ita nudè & ſimpliciter prolata, ſicut ſanè ſermone planè vulgari & pedeſtri utitur Zenzelinus gloſſator, nemo ignorat. Sine indignatione certè vel commotione aliquâ non audiverit, qui unum verum Deum, ſicut oportet, reveritus fuerit & coluerit. Qui non poſſunt ferre honorifica epitheta addi nominibus eorum, qui tantum non tribuunt Papæ, quantum ipſi tribuere ſolent, hunc Papam ſuum titulo *Domini Dei noſtri* paſſim proſtare patiuntur. Nec moniti mutant vel emendant, etiamſi non neſciant, quid inter Chriſtianos populari ſermone uſos, quum *Dominum Deum noſtrum* dicunt, ſignificetur. Non quidem exiſtimo, hinc induci ullum hominem ſanum, ut credat eum, quicumq; fuerit Romanus Papa, eſſe Deum æternum, immortalem, creatorem cœli & terræ: id tamen certum eſt agi, ut Papa credatur poteſtatem habere à doctrinâ & articulis, in quibus ſanciendis errare ne-

queat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

queat, humanam ſalutem ſuſpendendi; & conſtituendi media, quibus animæ defunctorum è pœnis infernalibus, quales in purgatorio inferri ſolenne, eripiantur: quin in univerſo terrarum orbe locum & vices Dei ſupplere, & in totum, quantus quantus eſt, poteſtatem habere ſecandi in partes, ejusque imperia & regna, quibus videatur, tribuendi & adſignandi. Qui autem iſta omnia, inter Chriſtianos epiſcopum ſe gerens, ſibi arrogat, annon *ſedet in templo Dei* (Eccleſia enim eſt templum ſanctum Domino, Eph. II, 21) *tamquam Deus, præ ſe ferens ſe eſſe Deum?*

XVI. Eſt ſanè Inquiſitio præcipuum organum conſervandi & defendendi dominatum Pontificium, ſicut inter Pontifices ſuperioris ſeculi agnovit Paulus quartus, qui ut in ejus vitâ ſcribit Onufrius, idipſum Officium moriturus *Cardinalibus commendabat, ſanctiſſimum appellabat, eoq; uno niti Apoſtolicæ ſedis auctoritatem affirmabat.* Adijciam verba, quibus de eodem Paulo quarto uſus fuit Petrus Suavis Polanus, ſive Paulus Venetus Servita,

Lib. 5. in hiſtoriâ Concilij Tridentini: *Inquiſitionem præcipuum nervum & arcanum Pontificatus nuncupabat. — Nullum illæ aliud remedium animo volvebat, quàm Inquiſitionem, quod & unicum putabat & ubique prædicabat.* Nempe Chriſtus ſe voluit prædicari & hominibus proponi Servatorem mundi per doctrinam & vivam vocem, nullo autem modo per adhibitam aliquam vim vel externam coactionem: at Pontifex ſe vult agnoſci Dominum mundi, & detrectantes agnoſcere vel in aëre ſuſpendit, vel in terram ſpirantes defodit, vel aquis ſubmergit, vel vivos comburit. Ab amplectendâ doctrinâ Chriſti nullis ſupplicijs homines prohiberi poterant: ad amplectendam autem doctrinam Pontificis ſupplicijs adiguntur. Quorum

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

rum metus ſi ceſſet, & unâ cum eo ſpes ſive adipiſcendorum ſive retinendorum ingentium honorum & emolumentorum, brevi nullus erit, qui immenſum & illimitatum Pontificis vel in Eccleſiam vel in imperia mundi dominatum veneretur.

XVII. Sicut autem robur & auctoritatem Pontificiæ ſedis unâ Inquiſitione niti Paulus quartus affirmavit, ita viciſſim Inquiſitionis inſigne arcanum fini, ad quem illa tendit, conſequendo faciens eſſe Indices expurgatorios haut abs re exiſtimavit idem Paulus quartus, primus eorum conficiendorum & promulgandorum auctor. Quâ de re Onufrius loco paullò antè producto: *Librorum indicem, qui ab ſe ad hæreſin*, quam ſcilicet ipſe hæreſin haberet, *quoquo modo pertinentes damnatos codices contineret, non ſine bibliopolarum querimonia publicavit; ipſosq; gravi edicto & anathemate vel legi vel haberi prohibuit.* Paulo quarto ſucceſſit Pius quartus exemplum ſequutus. Deinceps cœperunt inſtitui *Congregationes Cardinalium ad Indicem librorum, eorumdemq; permiſſionem, prohibitionem & impreſſionem ſpecialiter deputatorum:* qui per intervalla, ut res exigere videtur, opus ſuum aggrediuntur. Iam enim conſtat, nihil magis conducere affectantibus Pontificium dominatum, quàm ut ſcripta adverſantium proſcribantur.

XIIX. Initium autem Officij Inquiſitionis, quod vocant (ut obiter ſaltem annotemus) adſignant pontificatui Innocentij tertij, quem inijt ſub finem ſeculi XIII, & tenuit uſque in annum cIↃ CC XVI. Iiſdem temporibus vixerunt Dominicus & Franciſcus, cujus utriuſque noviter inſtitutus Ordo ab eo, qui ſucceſſit, Honorio videlicet tertio comprobatus eſt, & uterque per Gregorium nonum inter Divos relatus. Dominico uſus eſt



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Innocentius miniſtro ad delendos Albienſes vel qui iidem ſunt VValdenſes, à Petro VValdo cive Lugdunenſi in Scripturis exercitato ortos, quibus adſtipulabantur Raimundus Toloſatium Comes, Petrus Rex Aragoniæ, Comitesque Fuxenſis, Biterrenſis & plures alij: quos non eſt veroſimile adeo dementes fuiſſe, ut ſine ullâ emolumenti ſpe ſummoque cum periculo, hominum quorum innocentiam perſpectam non habuerint, patrocinium ſuſciperent. Deleri igitur non potuerunt niſi collectis exercitibus & illato bello. Quamquam ne ſic quidem deleri potuerunt. Adijciam verba Thuani ex Hiſtoriæ libro XXVII. *Quia à Pontifice Romano defecerunt, ob id crudeliter ubique exagitati ſunt: pars in Germaniam ac Sarmatiam & inde in Livoniam uſque ad extremum ſeptentrionem tranſmigravit; pars in Italiam profecta in Apuliâ & Calabriâ conſedit; pars denique in Provinciâ noſtrâ locis incultis & aſperis latuit, & in vicinis Alpinarum convallium radicibus perfugium habuit. — In Subalpinâ regione, atque adeo in Cottijs Alpibus Veſulo monti, ex quo Eridanus nobiliſſimum Italiæ flumen deſcendens orientem verſus curſum intendit, vallis Luſernenſis ſubeſt, à Luſernâ oppido ad ipſius fauces ſito ita vocata, cui & aliæ convalles connectuntur; Angrunia à fluvio cognomine, qui eam quaſi mediam dividit, itidem appellata: tum Peruſiana & Sanmartiniana valles huic contiguæ, quæ à* XV CIↃ *circiter incolarum habitantur, eandem fere, quam à VValdo olim hauſerunt, religionem in hodiernum uſque profi-*

An 1560. *tentium.* Qui ne quidem à Duce Sabaudiæ Emanuele Philiberto armis adigi potuerunt, ut Romana commenta probarent, quemadmodum idem ibidem memorat Thuanus.

XIX. Illi ipſi profitentur, ut mox ſubjungit Thuanus, *ſe doctrinam Veteri ac Novo fœdere, atque Apoſtolorum*

*ſymbolo*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*ſymbolo comprehenſam amplecti: ſacramenta item à Chriſto inſtituta admittere: item quatuor univerſalium conciliorum decreta amplecti, videlicet Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini & Chalcedonenſis, ad hæc Decalogi præcepta, quibus regula ſanctè ac piè vivendi traditur; de cætero omnem à ſe ac ſuis cœtibus iniquitatem eliminare, illicitas deierationes, perjuria, diras, imprecationes, contumelias, rixas, ſeditiones, crapulas, ebrietatem, ſcortationes, divinationes, ſortilegia, incantationes, furta, uſuras, præſtigias, & id genus averſari ac toto pectore deteſtari: credere verò ſupereminentes poteſtates à Deo inſtitutas eſſe, quibus parére Deum verè timentibus neceſſe ſit, & quorum quiſquis imperium detrectaverit, eum cum Deo bellum ſuſcipere. Hanc ſe fidem à majoribus traditam profiteri; quâ in re ſi vel illi olim vel ipſimet nunc hallucinentur, cupere doceri & ex Dei verbo argui, pravas de religione opiniones è veſtigio eieraturos, eiq; quod rectum ſit, protinus adhæſuros, ac pro tanto beneficio ei, qui illos docuerit, immortales gratias acturos.* Hæc de poſtremis ſive recentibus VValdenſibus Thuanus.

XX. De primis vel antiquis Reinerus Sachonus Placentinus, qui ſeculo XIV vixit, Dominicanus, libri contra VValdenſes cap. IV, juxta editionem Iacobi Gretſeri, impotenter in quoſvis, qui Pontifici in omnia jus eſſe negant, invehi ſoliti. *Quum omnes*, inquit ille, *aliæ ſectæ immanitate blaſphemiarum in Deum audientibus horrorem inducant, hæc Leoniſtarum magnam habet ſpeciem pietatis, eo quòd coram hominibus juſtè vivunt, & bene omnia de Deo credunt, & omnes articulos qui in Symbolo continentur; ſolummodo Romanam eccleſiam blasphemant & clerum*; id eſt, deteſtantur immanem Pontificis, Curiæ & Cleri ambitionem & avaritiam, non ignari, quum Scripturas legant, quòd nulli fundamento immenſa illa uſurpatio & ty-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

rannis inædificetur. Petrus Pilichdorfius contra eoſdem ſcribens, & ab eodem Gretſero editus fatetur *eos exteriore ſanctitate pollere: ſacerdotes verò Eccleſiæ* Pontificiæ *quàm plurimos vitiis, proh dolor*, inquit, *& maximè carnalibus inſiſtere.* Subjungit deinde capitula, quæ VValdenſibus objicit, *de incredulitate B. Virginis & aliorum ſanctorum; de incredulitate conſecrationis Eccleſiæ; de incredulitate altaris conſecrati; de incredulitate veſtium ſacerdotalium, ſalis & aquæ, cinerum & aliorum; de incredulitate indulgentiarum; de incredulitate imaginum.* Vnde intelligi poteſt, qualibus articulis fidem & pondus detraxerint VValdenſes.

Cap. I. XXI. Communis eſt ſententia, Dominicum & Dominicanos ſub Innocentio tertio primos fuiſſe Inquiſitores. Sed diſſentit Aubertus Miræus Originum Monaſticarum Auctario, ſive libro V, cap. XVI. *Petrus*, inquit, *de Caſtro novo, monachus ordinis Ciſtercienſis in cœnobio Fontis frigidi in Franciâ & diœceſi Bellovacenſi, fuit primus hæreticæ pravitatis Inquiſitor ab Innocentio tertio conſtitutus. Teſtatur id Ludovicus Paramus* (fuerit Ludovicus à Paramoz Hiſpanus) *libro II de origine Inquiſitionis cap. I. Sanctiſſimæ, ait, Inquiſitionis officium eo tempore ſumſit exordium, quo impiis erroribus & blaſphemiis execrabilibus Albigenſium Comitatus Toloſanus infectus & penè exſtinctus erat. Tunc enim glorioſus Deus in Innocentio III ſummo Pontifice eam mentem iniecit, ut Petrum de Caſtro novo monachum, virtutis & ſanctitatis gloriâ florentem, crearet Legatum, & ad illam provinciam ad Chriſtum Salvatorem noſtrum reducendam mitteret.* Verbis Parami pergit ſua ſubjungere: *Fuit dictus Petrus de Caſtro novo à Summo pontifice conſtitutus Inquiſitor, antequam ordo Prædicatorum per S. Dominicum eſſet fundatus.* Addit Petrum hunc crudeliter cæſum eſſe à Raimundo Comite

mite

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

mite Toloſano, quem tamquam papæ Legatus propter VValdenſium defenſionem excommunicaſſet. Res autem eo tempore Pontificis inſtinctu & juſſu non ſolùm verbis, ſed præcipuè armis agebatur. Tandem concludit: *Hæc viſum fuit paullò latius deducere, ut contra vulgi opinionem oſtenderemus, non Dominicanis, ſed Ciſtercienſibus primùm inſtitutæ adverſus hæreſes Inquiſitionis officium deberi acceptum.*

XXII. Ne prorſus ignoretur quomodo res geſta ſit & quàm crudeli bello ad internecionem uſque in VValdenſes ſævitum fuerit, pauca in compendium contracta ſubijciemus ex Paulo Aemylio deſcribente vitam Philippi ſecundi, quamvis juxta inditam eo tempore plerorumque animis opinionem peſſimè de VValdenſibus ſentiente & loquente. *Innocentius Pontifex belli adverſus eos ſacri ſuſcipiendi autor fuit, legatosq́ circummiſit ad excitandos in nefariam ſectam animos. Ad eos ſanandos, ſi reſipiſcere poſſent, miſſus Divus Dominicus. Neque vitæ neque orationis ſanctitate permoti ſunt. Sacræ militiæ inſignia Cruxq́ in eos ſuſcepta, & in militum ſtipendium pecuniam pro pietate quisque animi conferebat: illiq́ bello dux Simo Comes à Monteforti datus eſt. Is Biteras primùm copias duxit. Vrbs capta, cædes promiſcuè facta.* Vincentius audet dicere LXX millia hominum trucidata. *Carcaſſo recepta: oppidani cum ſingulis veſtimentis abire juſſi. In caſtro Minervæ expugnando ingens labor inſumtus; ubi ſunt inventi quinquaginta, qui igni cremari vivi, quam piè ſentire maluerunt. Vaurum & ipſum vi captum: ibi quoque impij igni traditi, quum in amentia perſtarent. Præfectus præſidij Almericus magnæ nobilitatis vir reſti ſuſpenſus: octoginta præterea minoris nobilitatis ſecuri percuſſi. Ne mulieribus quidem temperatum.* Cætera videantur apud ipſum auctorem. Spec. l.31. cap.9.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

XXIII. Incidunt illa non diu poſt initium ſeculi XIII, quando Pontifex fuit Innocentius tertius. *Cujus auctoritate*, anno cIↃCCXIV *cœpit in Alemanniâ prædicare Frater Conradus de Marburg, Ordinis Prædicatorum, & per annos ferme XIX continuavit: multos comburi ut hæreticos fecit, nullo prohibente*, ut ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. Eo videlicet rem prætextu divinitatis ſuæ per artes & tyrannidem fatalemque plerorumque ignaviam & deliram patientiam deduxerat Innocentius. Anno ſequente *in civitate Argentinenſi plusquam XXC numero fuerunt comprehenſi ſimul unâ vice, quorum pauci innocentes reperti ſunt. Hos frater Conradus de Marburg, inquiſitor Apoſtolicus, indicio ferri candentis, ſi negaſſent hæreſin, probare conſuevit; & quos ferrum exuſſiſſet, velut hæreticos judicio ſeculari tradere comburendos. Vnde paucis exceptis, omnes qui ſemel eſſent accuſati, & ad ejus examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium.* De eodem agit anno cIↃCCXXXIII; iterumque in Chronico Spanheimenſi, ubi hæc ejus verba. *Frater Conradus propter veras hæreſes & fictas multos nobiles & ignobiles, clericos, monachos & moniales incluſas, burgenſes & ruſticos, ignis ſupplicio, per diverſas Alemanniæ provincias (ſi dici fas eſt) nimis præcipiti ſententiâ condemnans, crudeliter fecit occidi. Nam eodem die quo quis accuſatus eſt, ſive juſtè ſive injuſtè, nullius appellationis, nullius defenſionis ſeu excuſationis, vel etiam (quod impium fuit) revocationis ſibi refugio proficiente, damnatus eſt, & flammis crudelibus injectus, intantum ut multitudine damnatorum potiùs lætari videretur, quàm innocentum.* Quum Comitem Seynenſem hæreſeos poſtulaſſet, *cernens ſe contra eum prævalere non poſſe, confuſus & odio multorum expoſitus à Moguntiâ verſus Marburg ire ſtatuit. — Quumque veniſſet non procul à Marburg, à quibusdam nobilibus fuit occiſus, qui quum veni-*

*am*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*am & miſericordiam cum lacrumis & ſuſpiriis poſtulaſſet, exauditus non fuit. Sepultus eſt juxta S. Elizabeth.* Hæc ibi Trithemius de Inquiſitore, quem Germaniæ immiſit Innocentius. Promſit autem Trithemius pleraque ſua verbotenus ex Annalibus Godefridi monachi Colonienſis, rebus geſtis, ut videtur, coævi; quos edidit primo ſuo Scriptorum Germanicorum tomo Marquardus Freherus.

XXIV. Invaſerunt quidem Inquiſitores pleraſque nationes Romani pontificis jugo preſſas: eorum tamen eſt præcipuè *in Hiſpaniâ poteſtas tremenda, ſummæ proxima*, ut ſcribit Iohannes Mariana Hiſtoriæ de rebus Hiſpaniæ libro XXIIX, cap. XIX. Occaſio fuit, quòd quum Chriſtiani diu afflicti tandem prævalerent, Iudæosque & Mauros eijcerent, ex his multi, ne patriâ exulare cogerentur, Chriſtianiſmum quidem forinſecus ſuſciperent, & tantùm ſimularent, priſtinis ſuperſtitionibus nihilominus operati. In hos poteſtas data Inquiſitoribus, à quibus ſontes *majori commiſſo delicto, igne poſt diuturnum carcerem & tormenta necabantur. Leviori de cauſsâ, ignominia inurebatur familiæ perpetua. non pauci bonis publicatis æternis tenebris vinculisq; mandati. Rubra crux obliquis radiis ac decuſſatim in crocea veſte, pleriſque data inſignis, à cæteriſque diſcreta: ut eſſent documento, & magnitudine ſupplicij terrerent alios.* Provincialibus grave viſum eſt *parentum ſcelera filiorum pœnis lui. Occulto accuſatore reos fieri: neque cum indice compoſitos damnari. Contra quàm olim factum erat, peccata in religionem vindicari morte.* Iſta & plura alia modò memoratus Mariana Hiſtoriæ libro XXIV, cap. XVII. Ex quo autem Granata à Ferdinando & Iſa- An. 1492.
bellâ fuit capta, poteſtas & ſævitia Inquiſitorum incrementum ſumſerunt: præſertim deinceps, ex quo corru-

ptelæ

ptelæ Pontificiæ paſſim feliciùs redargui & rejici cœperunt. Alfonſus de Caſtro laudat libro primo contra hæreſes cap. XIII Ferdinandi & Iſabellæ *edictum, quo ſub graviſſimis pœnis prohibuerint, ne quis ſacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab alio translatas quoquo pacto retineret.* Fides eſto penes ipſum.

XXV. Vt autem, quomodo in Hiſpaniâ Inquiſitio peragatur, lectori innoteſcat, deſcriptionem, quam Hubertus Thomas Leodius libro VI Annalium vitæ Friderici II Electoris Palatini proponit, adjungam. *Habet*, inquit, *Inquiſitio ita. Delatus aliquis ab uno & altero apud ordinatos judices, conjicitur mox in carceres, ibiq; aliquando in tertium menſem detinetur, priuſquam de ſuæ captivitatis causâ quidquam aperiatur. Deinde illi dicitur, quia hoc vel illud fecerit aut dixerit, ideo à ſanctâ Inquiſitione comprehenſus ſit. Si negat, comburitur, & amici bona retinent: ſi confitetur & culpam deprecatur, amittit ſubſtantiam ſuam, vita relinquitur, & in triremes relegatur, vel ad perpetuos carceres condemnatur. Perpauci evadunt amicorum precibus ſervati. Et quod triſtiſſimum eſt, accuſatores non nominantur, neque coram ſiſtuntur. Vna evadendi eſt via, ſi captus dicat ſe habere inimicos à quibus ſtructam ſibi fallaciam retur; & ſi eos nominat, tunc ſi ij ſunt delatores, quæritur à vicinis de ejus vitâ, quæ ſi integra & ab omni hæreſeos labe intacta reperiatur, dimittitur. Condemnati verò cauſa in perpetuam cognationis ignominiam majuſculis literis in linteo deſcribitur, & tholo in ædibus ſacris appenditur: bona verò judicibus addicuntur. Magna eſt autem Epiſcopi loci gloria, ſi quamplurimi ſuo tempore combuſti dicantur.* Hæc ille Hubertus, qui imperante Carolo V unà cum Principe ſuo Hiſpaniam ſemel atque iterum luſtravit.

XXVI. Sed fortè rectius fuerit è ſcriptore Pontificijs addictiſſimo rem promere. Nicolaus videlicet Burgundus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

gundus libro ſecundo hiſtoriæ Belgicæ ſcribit, ut ſequitur. *Damnati tamquam piaculares victimæ ad ſupplicia protrahuntur. Solemni pompâ ſacerdotes praeunt, ſacrum canentes carmen. Ponè ſacerdotes reus ſequitur, croceo amiculo velatus, quod nigrantia geniorum ſimulacra circumquaque interſtinguunt. mitram è papyro capite ſuſtinet, in modum turbinis ſurgentem; in cujus apice humana eminet ſpecies, lambentibus flammis terribilis, quam circumvolantes geniorum figuræ horribiliorem efficiunt. pila ori inſerta vocem impedit. Sequuntur hunc Abbates, & Canonici pontificali cultu adornati. Poſt quos præſides, gubernatores, magiſtratus, & tota nobilitas. Crederes funus ad cremandum efferri. Et hæc eſt illa Inquiſitio, ad cujus nomen Belgæ adeo exhorruerunt.* Et quis non meritò exhorreat, qui hunc modum procedendi, hominesque quamvis maximè errarent, corrigendi conſideraverit? qui expenderit, quàm ſit ab eo, quem Chriſtus adhibuit, & adhibendum Apoſtolis injunxit, ipſique & omnes primæ eccleſiæ architecti in rem contulerunt, diverſus, imò ei planè oppoſitus!

XXVII. Et hæc in occaſione & pro re natâ de Inquiſitione & Inquiſitoribus. Exſtat Directorium Inquiſitorum, auctore Nicolao Eymerico, qui poſt medium ſeculi XIV in regnis Aragoniæ Generalis fuit inquiſitor, & ex mandato Gregorij undecimi tum alios tum hoſce damnavit articulos, *Si hoſtia conſecrata cadat in cloacam, lutum ſeu alium turpem locum*, aut *à mure corrodatur ſeu à bruto ſumatur, quòd ſpeciebus remanentibus ſub eis eſſe deſinit corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis*; ut ſcribit Directorij parte II, quæſt. X. Exſtat quoque Iacobi Simancæ epiſcopi Pacenſis in Hiſpaniâ *Enchiridion Iudicum violatæ religionis, ad exſtirpandas hæreſes, theoricam*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*& praxin complectens* : item libri Ludovici de Paramoz *de origine & progreſſu Officij inquiſitionis*, quorum antè facta mentio.

XXIIX. Finem faciemus, adductis priùs antiquorum nonnullorum dictis. Tertullianus de Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap. VI. *Nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt. Itaque etiamſi angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis.* Auguſtinus libro XI de civitate Dei cap. III: *CHRISTUS prius per Prophetas, deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos, quantum ſatis eſſe judicavit, loquutus etiam Scripturam condidit, quæ canonica vocatur, eminentiſſimæ auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per noſmetipſos noſſe idonei ſumus.*

XXIX. Ex re videtur adijcere, quomodo à curioſitate & curioſis quæſtionibus movendis dehortetur Irenæus libro II, cap. XLVII. *Si in rebus creaturæ*, inquit, ſive creatis *quædam quidem eorum adjacent Deo*, ſive à ſolo Deo perfectè & certò cognoſcuntur, *quædam autem & in noſtram venerunt ſcientiam, quid mali eſt, ſi & eorum, quæ in Scripturis requiruntur* ſive dubia occurrunt, *quædam quidem abſolvamus* & exponamus *ſecundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo?* —— *Si ſecundum hunc modum quædam quidem quæſtionum Deo commiſerimus, & fidem noſtram ſervabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data conſonans nobis invenietur, & parabolæ his quæ manifeſtè dicta ſunt conſonabunt, & manifeſtè dicta abſolvent parabolas.*

Capite

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Capite proximo ab inquirendo modo generationis Filij Dei deterret. *Si quis, ait, nobis dixerit, Quomodo ergo Filius prolatus eſt à Patre? dicimus ei, quia prolationem iſtam, ſive generationem, ſive nuncupationem, ſive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem exiſtentem nemo novit, neque angeli, neque archangeli, nec principes, neque poteſtates, niſi ſolus qui generavit Pater, & qui natus eſt Filius.* Levitici cap. VII votivum aut voluntarium ſacrificium die primo & ſecundo comedi permittitur: die autem tertio in cibum adſumi ſeverè prohibetur, & quod ſuperfuerit, igne comburi jubetur. Origenes more ſuo allegoricè interpretatus primum diem dicit eſſe Scripturam Veteris, ſecundum Scripturam Novi teſtamenti. Si quid autem fuerit, quod neutra Scriptura divina decernat vel exponat, non exſpectandam eſſe aliquam tertiam, *ſed igni*, inquit, *tradamus quod ſupereſt, id eſt, Deo reſervemus. Neque enim in præſenti vitâ Deus ſcire nos omnia voluit, maximè quum id & Apoſtolus dicat, Quia ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus: quum* 1 Cor. 13, 9. *venerit autem quod perfectum eſt, deſtruentur illa quæ ex parte ſunt. Iſte eſt ergo ignis, cui quæ in tertium diem ſuperfuerint, ſervare debemus, & non temeritate præſumtâ aſſumamus nobis cunctorum ſcientiam, ut meritò nobis dicatur ab eodem Apoſtolo, Neſcientes neque quæ loquuntur, neque de quibus af-* 1 Tim. 1, 7. *firmant.*

XXX. Tandem conſideranda proponimus verba, quæ ſunt apud Euſebium ante finem tertij Demonſtrationis Evangelicæ. *Quum ad verbi potentiam reſpicio, ut innumerabilibus hominum conventibus perſuaſerit, atque ut ab ipſis illis ignobilibus & agreſtibus Jeſu diſcipulis numeroſiſſimæ eccleſiæ conſtitutæ ſint, non in quibuſdam ignotis at-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

*que obſcuris locis, ſed in clariſsimis civitatibus erectæ, in ipsâ, inquam, aliarum urbium reginâ Romanâ urbe, in Alexandrina, in Antiochenſi, per totam Aegyptum ac Lybiam, per Europam atque Aſiam, in vicis & regionibus; omniq́; modo variis gentibus; retro cogor neceſsitate quadam ad ipſius rei cauſſam inquirendam recurrere, fateriq́;, non aliter ipſos factum tam audax obtinuiſſe, quàm diviniore quadam, longeq́; humanam ſuperante potentiam, opeq́; atque auxilio illius qui dixerat, Docete omnes gentes in nomine meo.* DEVS Pater cœleſtis propter unigenitum ſuum Filium, Dominum & Redemtorem noſtrum, animis omnium eorum, qui Chriſtiani, imò homines audiunt, indat, ut veritatem diligant & pacem.

## *FINIS.*

*Appendicis num. XIIX, lin. 3*: ſeculi XIII, *lege* ſeculi XII.
*Num. XX, lin. 2*: ſeculo XIV, *lege* ſeculo XIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1722